[illegible]

[illegible] de principijs [illegible]

FRANCISCI VICOMERCATI MEDIOLANENSIS

DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM

Libri Tres.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITI.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,
Apud Franciscum Bolzetam Bibliopolam Patauinum.
M D XCVI.

V. C.

ALEXANDRO MASSARIÆ

In Schola Patauina Medicinę Practicæ Doctori primario

FRANCISCVS BOLZETA S. D.

INTER eos, quorum post renatas bonas litteras in Aristotele enarrando elaborauit industria, Franciscum Vicomercatum, & linguæ vtriusq; peritia, & ingenij dexteritate maxime excelluisse, cum ex aliis sæpe, tum vero ex te ipso aliquando audiui, Alexander clarissime. Itaque cum eius de rerum naturalium principiis disputationes, beneficio humanissimi viri, eiusdemq; philosophi, ac medici eruditissimi Ludouici Septalii Mediolanensis, in manus meas peruenissent, magnam me a philosophiæ studiosis gratiam initurum sum arbitratus, si eas typis expressas peruulgarem. Nam tametsi eiusdem argumenti commentationes a claris philosophis postea sunt editæ, quam harum fuerat, annis ab hinc quadraginta, aut eo amplius, concitata exspectatio; suum tamen his ipsis locum apud veritatis, quam contentionis amantiores reliε̃tum nihilosecius esse confidimus. vt enim acutos fuisse illos, et in difficilium quæstionum explicandis nodis nō inertes, inficiandum non sit; ea tamen est, vt equidē audio, in

Vicomercato docendi via & ratio, ea philosophicæ, hoc est, planæ, dilucidæ, & ab ineptiis alienæ, orationis commoditas, ea cum sobrietate subtilitas, ea denique iudicii elegantia, & firmitas, vt quod Theodorus Tragœdus diligenter cauebat, ne ante se quisquam prodiret in scenam, extimescendum huic nostro non sit. Verum hæc tu melius, vel potius omnium optime iudicabis, Vir excellentissime, qui summam liberalis omnis doctrinæ laudem eruditorum consensu es consecutus; quique purioris philosophiæ propugnator, ac vindex acerrimus, Hippocraticam, & Galenicam medicinam ex ea, tamquam e fonte, deriuatam, noxiis nouatorum herbis, qua euellendis, qua exurendis, in pristinam restituis dignitatem. Quæ quidem me causa in primis est adhortata, vt cum illustri alicui viro is esset ex consuetudine liber nuncupandus, tu potissimum idoneus visus sis, in cuius patrocinio, atq; auctoritate conquiesceret. Munus præterea ad te mittere volui; si maximis tuis in me beneficiis conferatur, leue illud quidem, sed tamen, siue aucToris nobilitatem, siue offerentis animum perpendas, spero, non ingratum; vt quando gratiam referre aliter non licet, habere certe me, non tam tu, qui pro tua humanitate, ac liberalitate nihil, in dando beneficio, nisi officium, spectas, quam ceteri omnes intelligerent, meamq; ego in te obseruātiam publice testificarer. Vale. Patauii, Mense Maio, M D XCVI.

INDEX CAPITVM,
quæ in his tribus libris de rerum naturæ principijs continentur.

Quæ in primo libro continentur.

Dubi-

Quæ

Quæ in secundo libro.

Quæ in tertio libro.

Quid

FRANCISCI VICOMERCATI MEDIOLANENSIS DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM

Liber Primus.

Principiorum naturalium tractandorum necessitas, & vtrum ea esse posit, aut debeat ostendi. Cap. I.

DE rebus naturalibus, earumq; principijs & causis differere, quæstionesque omnes, & controuersias, quæ de eis existunt, expendere, & quæ ab alijs tum veteribus, tum recentioribus (Pl tone potissimum & Aristotele) d eisdem tradita sunt, disquirere, quoc non semel sumus polliciti, instituimus. Nam horum Philosophorum dogmata, quemadmodum quidē intelligi oporteret, quæve eorū esset inter se aut consensio, aut dissensio, alibi separatim, quàm maxime fieri a nobis potuit accurate, explicauimus. Sed quæ eorum dogmatum esset veritas, & vter eorum rectius sensisset, & naturæ magis consentanee, an etiam vtroque alius quispiam, & omnino quid in eis statuendum, minime disquisiuimus: quod quidem nunc facere propositum est. A principijs autem, Arist. ipso magistro, exordiendum. Nam vt in cæteris,

ita & hac in re ratione magis, & via, quàm Plato ingressus est. Quippe qui naturalem scientiam tradere cum instituisset, a primis rerum initijs exorsus per summa & simplicissima corpora ad postrema,& maxime composita disputationem omnem perduxit; Cum Plato de vniuersa natura in Timæo differens, mundi ante omnia ortum nullis aut non satis constitutis principijs explicauerit. Quamquam, cum elementorum, aliarumq; rerum generationem tradere proposuisset, tum demum eorum principia explicanda, & statuenda existimauit. Causæ quidem generantis, & opificis Dei, atque exemplatis in ipso mundi ortu explicando mentionem fecit, sed primæ rerum omnium materiæ oblitus videtur, quam post mundi procreationem explicare aggressus est. Nec tamen inficiamur aliquam eius ordinis rationem afferri posse, quam etiam Plato ipse quoquo modo attigerit. Sed quæcunque illa sit, cum mundum ex materia, non ex nihilo, vt nostra asserit religio, procreauerit, & ex inordinato, ac tumultuate in ordinem ac statum redegerit, de ipsa in primis materia differēdū esse, & quid, qualisve ea esset constituendum videbatur. Quod veteres omnes Physici præstiterunt, principio constituto, ex quo vniuersum hoc, ac quicquid est, & oculis spectatur, extitisset. Nec vero aut ab eis, aut ab Aristotele, aut etiam ab ipso tandem Platone temere hoc, & absq; ratione factum est. Quis enim ignorat rei cuiusque principia ante omnia cognoscenda, quibus non cognitis, & quæ, & cuiusmodi sint, haud perspecto, eorum, quæ ex eis existunt, agnosci nil possit? Hinc rerum omnium, quas nosse expetimus, causam semper inquirimus, earum cognitionem nunquam adeptos nos rati, donec causam accurate nouerimus. Quod etiam magister noster Aristot. multis in locis nos docuit. De principijs igitur ante omnia agendum, & quæ & quot sint, quæve eorum vis, & natura, tum communiter, tum separatim quodque disquirendum: Nec vero dubium esse debet quin rerum naturalium aliqua sint, ex quibus primum oriuntur, & constant,

ſtant principia. Quomodo enim, niſi aliqua ſint, aut corporatæ eſſent, aut orirentur? Nam quicquid corpus eſt, concretum eſt, idque ex his, quæ principia dicuntur. Quod etiam oritur, phyſicorum omnium decreto, ex aliquo oritur, quod initium primum appellatur. Atque hæc omnis fere demonſtratio eſt, qua principium, aut principia eſſe poteſt oſtendi, quamquam Plato, & Ariſtot. vetereſque omnes adeo perſpectum principia eſſe videntur cenſuiſſe, vt nullam penitus requireret demonſtrationem: quæ cauſa fuit, vt cum de eis diſſenſerint, quæſtione an illa eſſent, quæ omnium primum expendi ſolet, quòd eis conſtaret, prætermiſſa, ad eorum multitudinem, & naturam inueſtigãdam protinus ſe contulerint. Quod apud Ariſtot. maxime licet intueri, cum alijs in locis, tum in Auſcultationis naturalis Libro primo. Nam quod in eius libri progreſſu duobus primum contrarijs inuentis principijs, tertij, videlicet materiæ, neceſſitatem è contrariorum illorum mutua mutatione ſcrutatus eſt, non id quidem ad id pertinet, vt rerum naturæ principia aliqua eſſe monſtraretur, ſed vt duo ſola in rerum ortu, mutationeq; omni ſatis non eſſe, tertiumq; ſubiectum requiri intelligeremus. Cum autem hoc cenſuiſſe hi, quos commemoraui, philoſophi videantur, Theophraſtus tamen e corporum naturalium concretione, cuius demonſtrationis antea meminimus, ea monſtrauit, quod videlicet concreta res omnis ex elementis, ac principijs conſtet. Atque hoc eſt, quod ab Ariſtot. poſitum, naturalium ſuorum initio ille oſtendit, non autem res naturæ concretas eſſe, vt Simon Porrius, illuſtris alioqui, & doctus Philoſophus cenſuit. Hoc enim vt perſpecto, & euidenti ad id monſtrandum eſt vſus. Poſteriores item Peripatetici hoc de principijs monſtrari poſſe, omnes fere cenſuerunt. Sed alij a Diuino & primo, alij a Naturali philoſopho. Porphyrius quidem a Diuino, Simplicius autem a Naturali cum eorum naturæ duntaxat explicandæ munus in Diuinum retuliſſet. In quam ſententiam eò ductus eſt, quod omnes

propemodum physici veteres hæc rerum naturæ principia inuestigarunt, & Aristot. materiam, & formam principia esse demonstrauit. Quæ cum monstrasset, materiam deinde proportione quadam agnosci dixerit, primo nimirum philosopho eam, quæ & cuiusmodi sit, ostendente, Formam item vtrum vna sit, an multæ, & quæ sit, primæ philosophiæ munus esse statuere; Sed quamquam Naturalis philosophus principia esse quoquo modo potest monstrare, veluti ex rerum procreatione, & mutatione, aut ex concretione, si nō naturalis hæc est demonstratio, in eo tamen docendo deceptus Simplicius videtur. Etenim priores illi, & veteres physici, quæ & quot essent naturæ initia inuestigarunt, quod Aristot. etiam præstitit; Cum vnum principium formam esse, reliquum materiam tradidit, cui priuatio pro tertio esset adiuncta. Quod ipse etiam Simplicius veritate veluti cogente confessus est, cum illud Aristot. Necesse est principium vnum esse, aut plura, interpretaretur. Cū enim causam redderet cur quæstionem an essent principia, Aristot. prætermisisset, ac Porphyrium refutasset, qui primo philosopho id muneris tribuebat, ideo prætermissam subiecit, quod principia esse omnes vnanimi consensu posuissent, id tantum scrutato, quæ & quot essent; non in omnibus autem rebus inquiri an sint, sed in his solis, in quibus id controuersum est, veluti de inani. Principiorum autem vim & naturam explicandi cuiusnam sit munus, Naturalis, an Diuini postea dicetur. Et hæc de his, quæ Theophrastus, Græciq; alij de principiorum demonstratione tradiderunt. Ex nostris autem Io. Gandauensis diligens Aristotelis naturaliumque omnium dogmatum scrutator aliter sensit. Nam cum triplex naturalium principiorum genus ex Auerroe fecisset, eaque omnia demonstrare censuisset, aliquorum ex eis demonstrationem naturali tribuit, aliorum primo philosopho. Quædam igitur principia doctrinæ nominauit, quædam ipsius esse, alia doctrinæ & esse. Prima et motum esse, atque entium multitudinem, & omnino re-

rum

rum naturalium ſenſilia accidentia, quæ in earum cognitionem nos ducunt, neque tamen vt illæ ſint efficiunt. In altero genere materia, & fortaſſis primus mouens, quibus res naturales conſtant quidem, ſed tamen eorum beneficio non agnoſcuntur, vt doctrinæ principia dici non poſſint. Nam doctrinæ initium ab his, quæ nobis cognita ſunt, & facillime apprehenduntur, ducendum, Ariſtotele quinto Metaph. docente, qui optimum doctrinæ initium ait eſſe, vnde quis facillime poſſit addiſcere. Eius autem generis materiã non eſſe, nec primum mouentem, in quorum habenda cognitione maxima eſt difficultas. Tertio principiorum genere formas ait comprehendi, quippe per eas corpora eſſe, & innoteſcere. Cum hęc ita habeant, ſecundum genus a naturali demonſtrari, reliqua, ſi opus ſit, a primo philoſopho. Sed nec Auerrois ſententiam recte videtur explicare, nec ſi ſecundum genus a Naturali poſſit demonſtrari, tertium ab eo debet remouere. Nam Auerroes duplex tantum principiorum genus fecit, cognitionis videlicet, ſeu doctrinæ ſolius, & cognitionis ſimul, & eſſe; quam partitionem a Simplicio in præfatione naturalis auſcultationis deſumpſit. Nulla item ratio potior eſt, cur materiam, quã vt formam, quæ alterum principium eſt, Naturalis debeat, aut poſſit monſtrare; Cum præſertim forma ex operatione, vt materia ex mutatione, innoteſcat. Atque ſi materia monſtrata eſt, eo quod contrarijs ſubiectum aliquod eſſe oporteat, formam etiam monſtratam dicemus, ex principiorum contrarietate, quæ nullorum eſt, niſi formæ, & priuationis. Quin & illud minus recte, materiam principium cognitionis non eſſe. Nam ſi de principijs antea differendum Ariſtoteles docuit, quod ex eorum cognitione rerum naturalium ſcientia dependeat, deque his principijs, quæ in re inſunt, cuiuſmodi materia eſt, loquebatur, quomodo cognitionis, ſeu doctrinæ principium materia non erit? Sed hoc forte dictum eſt, quod eius generis principia, propoſitiones eſſe primas, ſeu vt dicunt, complexa ſtatueret. Nam & Simplicius talia

esse intellexit. Verum absolute principia omnia cognitionis,& doctrinæ dici debent quomodo & esse. Nam vt per ea res sunt, quæ ex illis constant, ita & agnoscuntur. Minus autem recte a Zimara reprehensus videtur, quod materiam principium ipsius esse fecisset. Etsi enim materia rei proprie essentia non est, nec pars essentiæ ipsius, siquidem formæ proprium hoc est, quæ cuiusque rei ratio dicitur, rei tamen pars est, sine qua nec ea, nec forma esse potest, Ita principium, quo res constat, recte nuncupatur: de qua quidem re in progressu. Cum autem hunc in modum rē hanc hactenus disquisiuerimus, illud explicandum, an quæ ex concretione a Teophrasto demonstratio allata est, Naturalis sit, necne, & omnino a Naturali possint hæc, de quibus agimus, principia demonstrari. Ac cum perspectum sit demonstratione causam afferente, quæ διότι dicitur, fieri id non posse, siquidem principia non essent, si alia principia, quibus monstrarentur, haberent, num alio demonstrationis genere, quæ est τοῦ ὅτι, ostendantur, videndum. Auerroes tradidit principia subiecti cuiusque scientiæ demonstratione signi in ea posse ostendi. Quod si verum sit, poterunt, & hæc principia eo modo demonstrari. Eius enim principia sunt, in quo naturalis philosophia, vt in re subiecta, versatur, nempe corporis naturalis. Eo ergo modo ostendentur, quo antea dictum est, ex rerum ortu, atque interitu, & omnino mutua mutatione. Qua demonstratione in eorum numero constituendo Aristot. ita est visus, vt simul etiam ea esse ostendisse videatur. Teophrasti autem demonstratio, primi quidem philosophi videtur, quippe qui compositum, & simplex, seu totum, & partem, quid & cuiusmodi sint contemplatur: sed tamen ad naturalem reuocatur. Nam si concreta res naturæ ei negaretur, non aliter videtur id ostendi posse, quam ex eorum ortu, atque interitu, aut omnino mutatione, & motu. Nihil enim quod oritur, aut omnino mouetur simplex est, sed ex subiecto, & forma, quæ eius principia sunt, & partes, coalescit. Nam

quod

quod Cœlum simplex natura ponitur, non aliter poni potest, quàm cætera simplicia corpora, idest non ex admistione orta, aut constantia. Qui autem secus sentiunt, & quid simplex materiæ, & formæ compositionis expers putant, a vero, vt suo loco docebitur, aberrant. Hæc igitur principia posse monstrare Naturalis philosophus videtur; sed cum physicis ipsis, qui in naturæ contemplatione versantur, perspectum id satis esset, eorum demonstrationem Aristoteles disputationis suæ initio, vt diximus, prætermisit. Et hæc quidem de hoc satis.

Quæ principiorum naturalium vis & natura sit, ad quem explicare attineat, Diuinum ne, an Naturalem, & vtrum Naturalis omnia declaret. Cap. II.

ILlud vero iam paucis videndum, horum naturæ principiorum vim & naturam Physici ne sit explicare, an, vt Simplicius putauit, Diuini ac primi philosophi; Quæ sententia probabilis valde videtur. Nam prima philosophia sapientia dicitur, quam in primis rerum principijs, & caussis versari, eaque declarare, omnibus perspectum est, & ab Aristot. traditum. Quo fit, vt ea in eius Libro primo, quæ & quot sint, scrutetur, nec alia elementa, aut principia afferat, quam quæ pro rerum naturæ principijs statuuntur, de quibus in Physicis est disputatum. Totum præterea Aristotelis de prima philosophia id opus in eiusmodi principiorum natura explicanda videtur consumi. Nam in 7. & 8. a quibus fere ea narratio exorditur, cum reliqui præludia veluti sint quædam, & apparatus, de forma & materia agitur, quæve vtriusque ratio sit, & natura explicatur. In duodecimo de principijs omnibus. Rursus in physicis analogia tantum quadam materia agnoscitur, vt in primo de naturali Auscultatione ab Aristot. scriptum est. Quod Plato in Timæo, adulterina dixerat co-

gnitione. Quin & primi philosophi cuiusuis est rerum omnium essentias, & rationes promere, & quid quodq; sit explicare; multo igitur magis primorum principiorum; Quod de forma Aristot. aperte prodidit cum in fine primi Physicorum De principio secundum formam (inquit) vtrũ vnum sit, an multa, & quid, aut quæ sint, primi philosophi est exacte explicare. His & alijs huius generis argumentis naturalium principiorum vis & ratio a Primo, & non naturali philosopho explicanda videbitur. Verum aliter res habet. Ab vtroque enim hæc considerantur, sed ratione diuersa. Nam quamquam scientiæ, quemadmodum & res, docente Aristotele, diuidantur, nil impedit tamen quo minus rei eiusdem vis & natura diuersis in scientijs explicetur. Quomodo lineam, superficiem, corpus & Mathematicus, & Naturalis contemplatur. Hominem Naturalis, Medicus & Moralis. Diuersæ rerum rationes in diuersis scientijs eas reponunt. Principia igitur naturæ, & Naturalis, & Diuinus quæ & cuiusmodi sint declarat, sed ratione diuersa. Naturalis quidem enim qua ex parte rerum, quæ oriuntur, & intereunt, mutationisque & motus principia sunt. Diuinus quatenus entia, entisque, vt ens est, nempe substantiæ principia. Quæ nimirum rationes, ac considerationes magno inter se interuallo abiunctæ sunt: Ita Naturalis materiam definit subiectum primum esse, ex quo, cũ insit, res oritur primum, & in quod tandem, & postremo dissoluitur, Diuinus autem substantiam ait esse, quæ est potentia. Ita Themistius in ea digressione, quam de priuatione, & materia in primo naturalis auscultationis conscripsit, materiam a Primo philosopho, vt solitaria quædam res, & per se definiri voluit, a Naturali vt formæ & ortui subijcitur. Quamquam non recte, quod a Primo philosopho potentiam materiæ videtur remouere; De qua re in progressu. Formam similiter Diuinus definit substantiam esse, qua est hoc aliquid, & per quam res omnis composita existit. Naturalis vero naturam esse, ortusque terminum, seu etiam motus

actio-

actionisque principium, & huius generis alia. Nec enim omnis formæ seu ratio, seu consideratio physici propria est, sed quatenus ad aliquem vsum & actionem est comparata. Hunc formarum naturalium agnoscendarum physico terminum Aristoteles in naturali auscultatione præscripsit; quemadmodum & medico nerui, & fabro æris agnoscendi. Ad quem, inquit, vsque terminum formam, & quid est cognoscere physicus debet? An vt medicus neruum, aut faber æs μεχρὶ τοῦ idest aliquousque: vnaquæq; enim alicuius rei, est gratia, & in eis formis versatur, quæ separari non possunt. Quo in loco alterum Naturalis, & Diuini in formarum consideratione discrimen traditur. Quod cum formarum aliæ sint cum materia complicatæ, aliæ ab ea abiunctæ, eas tantum, quæ materiæ annexæ sunt, eo, quo dictum est, modo Naturalis contemplatur, reliquas diuinus. In eis inquit, formis versatur, quæ separari non possunt, in materia autem sunt, siquidem homo & Sol hominem generant. Quo autem modo ea, quæ separata est, se habeat, & quid sit, primæ est philosophiæ definire. De priuatione item, quam in principijs Aristot. numerat, aliter agit diuinus, aliter naturalis. Ille contrarietatis, seu oppositionis genus quoddã sic & sic affectum, hic materiæ veluti formã quandam, cuius merito ex ea res generantur, cõsiderat. Mouẽtis etiam seu efficientis & finis aliæ sunt, & aliæ horum philosophorum rationes. Quæ cum ita se habeant, & quid in hac quæstione sentiendum sit intelligitur, & quemadmodum rationes, quæ in contrarium allatæ sunt, nullum omnino huic conclusioni afferant incommodum. Sed quæstio alia remanet, nunquid naturæ omnia principia, quæ & cuiusmodi sint explicare physici sit, an aliqua duntaxat, reliqua Diuini: Aueri oes primam materiam & primum mouẽtem physico tribuit, primum finem, & primam formam diuino. Quæ sententia a vero abe t, si primus finis, & prima forma considerentur, quatenus rerum, quæ oriuntur, principia. Ita enim a Naturali, quemadmodum & mouens primus, &

prima

prima materia explicantur. Secus si absolute primum omnium finem, primamq; formam (si tamen Deum, quem ille intelligit, formam liceat appellare) contemplemur, & quatenus ad eum omnia referuntur, actusq; purus est omnis potentiæ expers. Hęc namq; considerandi ratio Primi philosophi est propria. Sed & mouens primus, & prima materia aliqua sui notione ad eundem philosophum artinet, quippe quæ non omnino ad naturalem. Quod ipse Auerroes in præfatione physicorum indicauit, cum dixit, causas primas sicut mouentem primum, & primam materiam in eo opere explicari, quatenus in naturali scientia possunt sciri, indicans non omni ex parte earum illis scientiam tradi. Qui vero fieri potest, vt illius causæ, tametsi primæ cognitionem a naturali remoueamus, cum de illis ideo agendum Aristot. proponat, quòd omnium earum, etiam primarum, principiorumque primorum, & vsque ad elementa, ad rerum naturæ scientiam cognitio requiratur? Quodcunque igitur principium, seu in finis, & formæ, seu in efficientis & materiæ genere, ratione sibi propria Naturalis declaret, exquisitam tamen & exactam primorum omnium notitiam Primus philosophus impartitur.

Quæ cum satis explicata sint, ad id,
quod maxime instituimus,
quot & quæ sint
hæc re-
rum naturę principia aggrediendum, Platonisq;
& Aristotelis de eis dogma di-
squirendum.

Principiorum genera, eorumque partitionis ab Aristotele facta disquisitio, ac veterum de eis sententiæ.

Cap. III.

SVnt autem rerum naturæ, quemadmodum & earum, quæ arte constant, duobus generibus comprehensa principia. Vnum eorũ, quæ in rebus insunt, ex quibus res sunt, & constant, aut etiam oriuntur, quæ elementa etiam nominantur; alterum eorum, quæ extra rem sunt, nec eius constitutionem ingrediuntur. De primo genere primum agendum: deinde de altero. Quippe hunc ordinem in eis pertractandis videtur Aristot. seruasse. Cum enim duobus prioribus Auscultationis naturalis libris totam de principijs & causis naturalibus tractationem sit persecutus, in priore eorum de ijs egit, quæ in re insunt, in altero ea etiam amplexus est, quæ extra sunt posita, alia quædam de priore genere adijciens, quæ libro primo fuerant præterita. Atque hoc principiorum considerationis in libris illis duobus discrimen videtur; non quod (vt Portius scripsit) in priori, rerum vt fiunt, in posteriori, vt sunt, principia illa considerentur. Nam si his duobus differentibus modis ea Aristoteles pertractauit, non video cur non ita, ac magis etiam fortasse in primo, vt res sunt, in altero vt fiunt, fuerit ea contemplatus? Ex materia enim & forma, de quibus in primo egit, tantum sunt, fiunt autem non ex his solis, sed ab efficiente & finis gratia. Sed de hoc alias. Nunc quot & quæ sint, quæ in rebus naturalibus insunt, ex quibus fiunt & constant principia, videamus. Aristoteles in eis inquirẽdis hac methodo vtitur, Necesse est illa, aut vnũ esse, aut multa, atque si multa, aut infinita aut finita, & hæc aut duo aut tria, aut alio numero comprehensa, si vnum aut mobile, aut immobile. Quæ partitio methodo quidem tradita est, sed tamen de ea dubitamus. Primum quòd mobile

bile & immobile ad numerum inquirendum non attinent, sed ad vim & conditionem principij. Deinde quod aut de principiorum generibus, aut de ijs, quæ vno genere comprehenduntur, partitio facta est. Si primo modo, non solum non infinita, sed nec plura, quam duo aut tria esse possint; materia videlicet, forma, & (si velis) priuatio. Si altero, vt videtur, quæcunque ex veteribus commemorat, ad vnum tantum pertinent genus, nempe ad materiam, vt omnes vnum tantum posuisse dici possint, nimirum materiã. Nam & illud vnum mobile a nonnullis positum, & quattuor ab Empedocle; & Anaxagoræ similares partes infinitę, & Democriti atomi pro materia posita sunt, vt hoc loco docebitur. Vnde in primo de prima philosophia in his (Anaxagora excepto) numerantur, qui in causis solam materiam agnouissent. Nec igitur quattuor, aut alio numero, nec infinita principia posuisse dici debent, sed vnum tantum, videlicet materiam, quam alij vnum quid, alij plura, alij infinita statuerint: Illud nempe rerum naturæ principia & causas inuestigãti, notum esse debuit, quot principiorum aut causarum genera essent, tum demum diuidere, vt demonstretur, necesse esse eorum principiorum in rebus naturæ, aut vnum esse, aut plura, aut omnia. Ita quodammodo in Prima philosophia ingressus. Nam cum veterum de principijs & causis rerum sententias explicare ac disquirere instituisset, quót primum causarum essent genera cõstituit, tum quæ & quot, a quibus essent inuenta ordine recensuit. Ita aliquos vnam materiam posuisse & agnouisse, alios præter eam, etiam efficientem & mouentem causam, alios deinde præter hæc formam & finem. Quod si per principium, cum partitio illa facta est, materiam tantum, ex qua primum res fiunt, & constant, Aristot. intellexit, quam necesse esset, aut vnam esse aut plures, non oportuit profecto ab eo tria tandem principia constitui, sed vnum, siquidem vnam tantum ponit materiam. Nam quærere de materia, vtrum vna sit vel plures, ac tum demum alia præter materiam statuere, ac

ita

ita quæſtionem diluere eius non eſt, qui apte reſpondeat, & de eo quod quæritur accommodate ſtatuat. Quod ſi de omnibus principiorum generibus quæſitum eſt,ex illorum numero erat diuidendum,non ex materiæ vnius multitudine,aut paucitate. Illud additur quod Parmenidis,& Meliſſi de vno immobili ſententia ad eam de principijs partitionem nil attinet. Nec enim de principio locuti ſunt, nec vt principium illud vnum poſuerũt,ac ne ponere quidem potuerunt,ſiquidem ſi vnum eſt,quicquid eſt, principium eſſe,vt Ariſtot. ipſe tradidit,non poteſt. Quamquam de Meliſſo Galenus in primo de elementis ex Hippocrate cenſet, per illud vnum,quod ſtatuit, materiam quodammodo indicaſſe,ex qua omnia orta ſint. De qua re in progreſſu. Mitto illud vnum ita per finitum,& infinitum, vt per mobile & immobile diuidi potuiſſe, cum præſertim Parmenides finitum,Meliſſus infinitum cenſuiſſet, quin & plura per mobilia,& immobilia,vt per finita, & infinita. Cum etiam fuerint,qui plura immobilia induxerint,vt Pythagorici numeros. Non recte ergo Simplicius,qui id prætermiſſum tradit,quod nulli eius opinionis extitiſſent. Non item Alexander,qui vnius magis proprium eſſe,vt per mobile, & immobile diuidatur,quam per finitum,& infinitũ. Quod quamquam de finitate,aut infinitate ſecundum numerum verum eſt,non tamen de ea,quæ eſt magnitudinis. Atque ſi infinitum mole vnum eſſe non poteſt, ideoque abſurdum ſit iſta partiri,infinita etiam numero, quia eſſe non poſſunt, in plurium partitionem venire non debebant: Vnum præterea ſubiectum,quod ſit immobile ſtatuere, a vero abeſt lõgiſſime. Siquidem ex vna in aliam formam debet moueri. Non igitur id magis proprium. Ita de Ariſtotelis partitione ſit dubitatum. Iam veterum ſentẽtias,quatenus eas noſſe licet,paucis exponamus. Plurium enim ſcripta non extant; quædam tantum fragmenta apud Simplicium, & alios leguntur. Quare ex Ariſtotele,qui eas commemorat, magna ex parte deſumendæ. Diuerſa autem de eis ſcribit.

Nam

Nam cũ Thaletem,Heraclitum, Hipparchũ, & alios vnum quid,ex quo omnia fierent,ſtatuiſſe inquit, nonnumquam duo principia feciſſe,interdum etiam tria rurſus fatetur. Ac vnum quidem ab eis poſitum in primo Metaph. ſcriptum eſt; A Thalete aquam,ab Anaximene & Diogene Aerem, ab Heraclito, & Hipparcho Ignẽ; quos omnes phyſicorum nomine appellat in primo de Naturali Auſcultatione,vnũquẽ mobile ab eis poſitum aſſerit. In cuius libri progreſſu duo eos ſtatuiſſe ait,nimirum contraria, veluti rarum & denſum,e quibus duobus omnia orirentur; tertium deinde addit, nempe id vnum ab eis inuectum,quod contrarijs illis afficeretur, & ex vno in aliud mutaretur. Quæ tandem ſententia eſt, quam eis tribuit, etſi nolentibus aut veritate coactis id fateri. Qua ſententia ſuam poſtea confirmat. Neminem ergo vnum re uera ſtatuiſſe, etſi ita videantur, Ariſtot. cenſet. Quippe cum ex eo vno ab illis inuecto nil gigni poterat niſi raritate aut denſitate, quæ in principijs poſſunt numerari. Raritate quidem ex aqua fieri aerem, & ex hoc ignem, denſitate contrarium. Parmenidẽ vero cũ ipſe cum Theophraſtus ſcripſere illo ſuo immobili vno nõ contentum, rerum ſenſibilium duo principia feciſſe, ignem & terram, quamquam ignem vt cauſam agentem, vt vnum tantum, ex quo res conſtent re uera ſtatuerit, nimirum terram,quam alio nomine frigidum dixit,quomodo & ignẽ, calidum. Empedocles, vt in ſua etiam Coſmopœia legitur, quattuor ſimplicia corpora inuexit, ex quib⁹ cuncta oriẽtur, quæ cum ad materiam pertineant, vnum principium feciſſe dici poteſt,tametſi & ipſe contrarijs aliquibus vteretur. Quod etiam de Anaxagora,& Democrito,ac Leucippo dici poteſt. Nam quamquam infinita vterque inuexit, hic corpuſcula indiuidua figuris inter ſe differentia, ille vero ſimilares rerum omnium partes; in genere tamen materiæ omnia ſunt poſita. Ita vnum tantum principij genus vi dentur poſuiſſe. Democritum tamen Ariſtoteles ſcribit duo contraria feciſſe, plenum & inane, ex quibus omnia

con-

constarent,siquidem atomos inani admistas,& cũ eo complicatas posuit,ex quorum compositione res orirentur. Ita vtrumque contrarium pro materia positum videtur. Vt in prima philosophia est traditum. Et hæc igitur nunc de ijs veteribus satis. Nam eorum de materia sententiæ magis etiam in progressu disquirentur.

Quot & quæ rerum naturæ principia sint Platonisque & Arist. sententiæ de eis disquisitio. Cap. IIII.

Nvnc vero quot, & quæ principia poni debeant statuere volentes, Platonis & Aristotelis sententiam disquiramus. Nam quæ,& quibus fundamentis vtraque nixa, in libris de dogmatibus expositum est. Plato igitur vnum tantum rerum naturæ principium, ex quo oriantur,& quod in eis insit,videtur statuisse,videlicet materiam. Nam formam gignentis effectum statuit, ideoque prolem vocauit. Ideæ autem, quas cum Socrate induxit,in rebus non insunt. Quare earum merito formam ab eo positam minime dicendum. Quo fit vt Aristotelem miremur,qui,cum Ideas ab eo positas cerneret, neminem veterum formæ mentionem perspicue fecisse affirmauit. Maxime autem idearum authores eam attigisse. Quomodo enim dici hoc possit, cum ideæ exemplaris tantum habeant rationem,non formæ alicuius,ex qua res constet? Materiam autem illam, quam statuit, quoniam magnum & paruum nominauit,vt Aristot. author est,eisque duobus ipsum vnũ quod formæ haberet rationem adiunxit, & formam induxisse, & omnino tria principia fecisse dici poterit. Sed ijs, cũ in eius monimentis scripta non extent, non magnopere nitemur. Quis autem eorum sensus,atque intelligentia esse queat, quantum assequi potuimus, in lib. de Dogmatibus explicatum est, quemadmodum & quæ de infinito & termino in Philebo, de quinque generibus primis, essentia, identitate,

titate,alteritate,statu & motu in Timæo ac Sophista,ab eo sunt prodita,& quodam modo in principijs numerata. Quę cum rerum naturæ ac generationis propria non sint, prætermittemus,ac ea tãtum disquiremus, quę,cum de harum rerum procreatione in Timęo disseruit,ab eo sunt prodita. Illic igitur vnam materiam rerum, quod insit, principium fecit. Ac formæ quidem materialis meminit, sed vt imaginis ab idea profluentis,& omnino vt prolis & rei effectæ. Nisi principium esse ex eius sententia velimus,quatenus in materia est,& vna cum ea rem complet,quod tamen ab eo minime est explicatum. Priuationis item nil meminit, nisi quatenus materiam formarum expertem & omnino capacem inducit. Sed hæc proprie priuatio non est;Cum quandam etiam ad formæ propensionem concludat, non solum capacitatem,vt suo loco dicetur. Illud certum, inter principia ab eo non numeratam. Hæc igitur Plato: Aristoteles autem tria aperte principia statuit,contraria duo formam, & priuationem,& tertium materiam illis subiectam,quæ vi cissim ex vno in alterum mutetur. Quæ etsi methodo ac ratione posita sunt,dubitationes tamen habent,rectiusq; fortasse Plato,quam ille sensisse videbitur. Forma enim & priuatio elementi, ac principij rationem quemadmodum habeant non satis videtur perspectum. Nam principij,Aristo tele docente, ratio & vis est vt primum sit, idque,cuius est principium, antecedat. Principij item aliud nullum principium est,e quo ortum ducat. Præterea non oritur,nec interit,quippe quod e principio oriretur, & in principium interiret,e quo videlicet ortum esset: Minime itaque principium. De nullo item subiecto principium dici Aristoteles statuit. Nam subiectum quodcunque id,cui subiectum est, antecedit. Principio igitur aliquid anteiret. Hæc principij ratio & natura cum sit, efficitur vt nec forma, nec priuatio principium esse queat. Forma enim suo modo oritur, & interit,eiusque principium aliud est,e quo ortum ducit,videlicet materia. Nam etsi ex materia, vt sui parte non con-

stat

ſtat vi tamen & poteſtate in ea cohibetur, poteſtatiſq; eius beneficio in eadem generatur, vt eius quodammodo initium dici poſſit. Quod etiã vocabula, quibus Græcè vtrũque ſignificatur, declarant. Materia enim δύναμις forma ἐντελέχεια dicitur. Quo intelligitur materiam quandam veluti formæ inchoationem eſſe, hæc enim fere eſt illa eius potentia, cuius inchoationis perfectio & complementum ſit forma. Ac quamquam oriri id proprie dicitur, quod ex materia vt ſui parte oritur, quod quidem cõpoſitum eſt; quoniam tamen forma, cum non eſſet, ex ea potentia, quæ in materia eſt, in lucem editur, oriri quoque ipſam non abſurde conceditur. Hinc formas omnes materiales ortui, & interitui obnoxias dicimus, eas, quæ materiæ ſunt expertes, ab his mutationibus liberas. Rurſus de materia, vt ſubiecto, forma dicitur, idque Ariſtor. tradit in Naturali Auſcultatione. Quin etiam rem eam, cuius forma eſt, non antecedit, ſed in lucem ſimul eduntur. Atque vt naturæ ordine antecedere concedatur, ne hoc tamen quidem modo generatione eſt prior, quod principij cuiuſque proprium, vt dictum eſt, videtur. Qua ratione concluditur non generationis tantum principium non eſſe, quod omnes ex Ariſtotele fatentur, ſed ne ipſius quidem rei progenitæ. Sed multo etiam minus elementum dici aut eſſe poteſt. Elementum enim Ariſtotele authore, id eſt, e quo quidpiã componitur primo ita vt inſit, indiuiduumque ſpecie eſt in aliam formam. Quo modo vocis elementa litteræ ſunt, e quibus illa primo cõponitur, & in quæ poſtremo diuiditur, Quo item ſimplicia corpora, Ignis, aer, aqua & terra reliquorum corporum elementa nuncupantur. Hæc antem, ſi quis intuetur, materiæ ſolius rationem habere, non item formę, intelliget. Quin & elementi, quæ dicta eſt, rationem nullo modo ei congruere. Nec enim ex ea res primo componitur, nec ante rem, vt dictum eſt, conſiſtit, vt ad eius compoſitionem ſumi poſſit, nec in eam res diſſoluitur, quippe, quę poſt eam non remanet; quomodo litteræ & ſimplicia cor-

pora his dissolutis, quæ ex eis erant concreta. Nec igitur principium formam esse, nec elementum hisce rationibus aliquis crediderit. De priuatione autem ita dubitatur. Ea enim etsi rem, cuius est, antecedit, non remanet tamen, sed aboletur & interit, vt eius interitu materiã quoque, in qua inerat interire Arist. statuat. Est item non ens per se, & quodammodo nihil, quomodo igitur corporis naturalis principium erit? At nec generationis, quòd aliquod ens esse oporteret, cui principij ratio tribuitur. Minime omnium elementum erit, cum nec ex ea res constet, nec in eam tandem dissoluatur. Aristoteles autem & principium & elemẽtum nominat quemadmodum materiam & formam. Nam de hisce tribus loquens tum in primo Naturalis Auscultationis, tum in duodecimo primæ philosophiæ tria rerum quæ oriuntur principia esse ait, & elementa. Quod intueri eos oportet, qui priuationem ab Aristotele elementum dictam leuiter & temere negarunt. Hæc cum ita habeant, reliquum videbitur, vt sola materia principium vere sit, e quo res procreatur. Hęc etenim rem antecedit, nec oritur, nec interit, principiumque nullum aut elementum prius habet, e quo oriri, & in quod queat interire, ob eamque etiam causam de nullo dicitur subiecto. Quam ob rem veteres physici cum rerum naturæ principia, & elementa scrutarentur, vnam materiam recte videntur inquisiuisse, quippe qui principij & elementi vocabulis ad eam vnam significandam, vt Simplicius etiam nos monet, vtebantur. Quod Aristot. quoque videtur testari, cum de eis loquens ait. Omnes igitur elementa, & quæ ab eis sunt dicta principia. Ita vnum ex simplicibus corporibus alij, nonnulli plura, quidam aliquid ab eis diuersum, seu vnum seu plura, aut etiam infinita, principium rerum, vt antea diximus, statuerunt, nec vllam formæ, aut priuationis mentionem fecerũt. Nec recte hoc nomine quod formam in principijs prætermiserunt, eos redarguere Aristoteles videtur, quippe nil in ea cernent, quod principij rationem obtineret. Quam quã

ea in re nonnulli eorum recte arguuntur, quod qualitatem quandam solam & materiæ affectionem, nõn item substantiam, eam esse arbitrarentur. Substantia enim est, vt suo loco dicetur, & materiæ perfectio, sed quæ in materia gignitur, non quæ principij e quo res fiat, obeat munus. Rectius igitur Plato in principijs eam non posuit, sed proli potius (vt diximus) comparauit, cum materiam matri assimilasset. Tria enim inquit genera sumenda sunt, vnum quod gignitur, alterum in quo gignitur, aliud a quo similitudinem trahit, quod nascitur. Idcirco comparare hæc ita decet, quod recipit matri, vnde recipit patri, naturam istorum mediam proli. Quibus in verbis prolem aliud nil esse intellexit, quã formam, quæ ad exemplaris speciem in materia gignitur. Quod a nobis in Libris De Dogmat. copiose est explicatũ. Porrò formam rerum naturæ principium non esse quamquam satis monstratum videtur, hoc tamen etiam argumento colligi potest, quod communis quædam forma, quomodo & materia, rebus omnibus esse deberet, alioqui non forma, sed formæ principia essent ponendæ. Quod si communis, omnia profecto ut materiæ, ita & eius ratione vnum essent. Quare id vnum poneretur, quod in Par. & Mel. Aristot. reprehendit. Cum præsertim a forma rem capere vt sit, eiusque beneficio a cæteris distingui idẽ docuerit. Iam si communis vna forma vt materia non sit, commune profecto principium esse non potest. Nec vero analogia commune ponendum videtur, quod nulla vrgeat ratio cur principium vnum modo vno, aliud alio vnum statuatur. Tria ergo non videntur vt Aristot. tradit rerum naturæ principia, sed vnum tantum, quod est materia. Vocabulo autem materiæ subiectum id intelligimus, quod forma, quæ in eo gignenda est, caret quidẽ, sed tñ eam aptum est recipere, potestateq; intra se cohibet. Quod cũ dicimus priuationis in principijs memorandæ necessitatem excludimus, quippe quæ materiæ nomine intelligitur. Vnde & Aristot. materiam & priuationem subiecto vnum facit, quamquam spe-

cie, seu ratione differentia. Atque hæc causa fuit, cur priuationem Plato contempserit, vna duntaxat materia pro principio posita. Nec vero contraria principia esse ob eas, quæ allatæ sunt, rationes possunt, quod ex alijs gignantur, quod vicissim ex sese fiant, quod de subiecto dicantur, quod item in rebus inesse ac remanere ea oporteat. Rursus quod in substantia, quo in genere principia continentur, siquidem substantiæ principia sunt, contrarietas non sit. Nec veterum vllus in principijs, vt Aristot. tradit, ea numerauit, nisi quatenus ad materiam pertinent. Nam fuerunt, qui illam contrarietate constantem statuerunt, vt qui quattuor elementa, qui item plenum & inane rerum materiam fecerunt. Sed ea non est contrarietas ab Aristot. tradita, cuius vnum tantum contrarium materiam semper afficit, ita vt modo vnū in ea insit, modo reliquum, illius autem vtrumque contrarium in rebus remanet. Nam ex pleno & inani omnia constare Democritus censuit, vt Empedoc. ex quatuor elementis, Anaxagoras ex partibus similaribus inter se contrarijs. Quod si ea contrarietate, quam Aristotel. ponit veteres sunt vsi, non tamen vt principijs contrarijs, sed vt modis quibusdam, quibus res orirentur. Alij quidem raro & denso, alij concretione & secretione, alij aliter. Nec enim putandum raritatem, quæ in igne inest, aut aere, pro principio seu forma ab Heracl. aut Diog. positam, nec densitatem in aqua a Thalete. Sed cum ignem rarum, aut aerem illi cernerent, aquam densam eam ex illis densatione quadam fieri putarunt, non secus ac Arist. poneret, etsi rarum & densum principia non statuat. Quid igitur ille tria principia statuit, duoq; ex eis contraria facit, vnum materiam & subiectum? An sapientię omnis parentem & rerum naturæ acerrimum indagatorem, qui diuino quodam fato ad naturæ secreta nobis aperienda editus videtur, eius prima principia ignorasse petulanter ac temere effutiemus, vt in ipso statim limine, vt Prouerbio dicitur ἀπὸ τῆς θύρας aberrarit? An cum temerarium hoc & amentiæ plenum videatur, nobi-

bi

bis præsertim, qui ab ipsa ineunte ætate eius diuinam doctrinam & admirati sumus & amplexati: dicendum potius principij vocabulum cõmuniori significatione ab eo sumptum, vt id omne significat, quod ad rei concretæ significationem, ac constitutionem requiritur, materiam scilicet & quicquid in eam recipitur, eamque afficit. Materiam itaq; quod ea forma, quæ generanda est, priuatam esse oporteat, a priuatione disiunxit, ipsamque priuationem principium fecit, per accidens quidem, sed tamen necessarium. Dico autem per accidens, quod eius formæ expertem esse materiã contingat. Nam si per se ea priuata esset, nullo vnquam tempore posset eam accipere. Quoniam item res concreta esse non potest, nisi forma in materia gignatur, ac naturale omne corpus, qđ oritur & interit, ex ea & materia concretum est, principium similiter eam constituit. Ad quod ponendum eo etiam ductus est, quod forma ita efficiat vt res sit, vt antequam illa in luce edita sit, res nulla esse queat, & tamdiu solum consistat, quamdiu forma in materia permanet. Quo fit vt ea vna rei essentia & ratio dicatur. His de causis præter eas rationes, quæ in primo Natur. Auscultat. conclusæ sunt, Aristotelem ductum censemus, vt tria principia faceret, duo contraria, & vnam eis vicissim subiectam materiam. Qui autem principij & elementi vocabula proprie & per se accipiunt, quod Plato videtur fecisse, pro eo videlicet, quod rei, quæ gignitur, præit, & ex quo, cum insit & maneat, res fit, nulloque modo ex alio gignitur, materiam duntaxat principium ac elementum possunt statuere, forma & priuatione, & omnino contrarijs a principij & elementi ratione exclusis. Quod eo magis facere coguntur, quo illud Aristot. oportet principia semper manere, verum esse existimabunt. Quod quamquam tria cum Aristot. principia ponentes, ita interpretentur, vt ei dogmati nullum afferat incommodum, in omni videlicet ortu tria hæc necessario inesse, in eam tamen etiam sententiam dictum videtur, principia æterna esse, nec fieri, aut ex sese, aut ex alio, sed

omnia ex eis,quę primorum contrariorum conditiones esse,sed non absque multis dubitationibus, posuerat.

Diuersæ de prima rerum naturalium materia opiniones.
Cap. V.

QVoniam autem de principiorum numero satis videmur disseruisse,Platonisque, & Aristot. cùm de hoc ipso numero, tum de materiæ necessitate sententia in lib. de Dogm. fusius à nobis explicata est, iam quæ materia hæc sit, quam rerum naturæ verũ & proprium principium,ac elementum ponimus,exponamus, de forma deinceps ac priuatione dicturi. A veterum autem, qui de ea locuti sunt, sententijs ordiamur. Rerum igitur naturalium materiam primam alij aliam posuere. Nonnulli corpoream,seu corpus aliquod, quidam corporis expertem. Eorum alij corpus vnum duntaxat,alij plura, quorũ alij finita,alij infinita, quemadmodum & qui vnum, alij finitum,& limitibus circumscriptum,alij infinitum. Et horũ quidem nonnulli simplicium corporum vnum, veluti aerem aut aquam,alij diuersum quid,& inter ea mediũ. Qui ex pluribus finitis numero corporibus materiam fecere, alij ex duobus elementis,alij ex vniuersis. Qui ex infinitis, alij ex his,quæ genere & natura, seu essentia eadem essent, sola figura inter se differentia,alij ex omnino diuersis,& inter se contrarijs. Qui autem corporis expertem, alij similiter vnum quid,alij duo,alij plura eam esse voluerunt. Tot de materia prima opiniones tum apud alios authores,tùm apud Aristot. varijs in locis leguntur. Ac Thales quidem Milesius, qui primus ex his,quorum manserit memoria,rerum naturæ causas Aristot. teste inuestigauit aquam rerum omnium materiam primam fertur censuisse. Nec enim aliquod eius, in quo id legi possit, monumentum remanet, nec Alexandri, aut etiam Aristot.tempore manebat, quip-

pe quem inquiant nil scriptis mandasse. Aquam autem fore ob eam causam statuit, quam in primo Metaph. Aristot. refert, quòd rerum omnium alimẽtum humidum sit, quod ex eo fiant omnia, quæ aluntur, eodemque calor, quo ea viuunt, seruetur, quod quidem principij, atq; materiæ, e quo res gignũtur proprium videtur. Præterea quod semina, e quibus res gignũtur, humida sint, rebusque natura humidis aquam principium esse rationi sit consentaneum. Quibus rationibus in eandem de aqua sententiam Hippocr. adductus est. Ideo animam aquam esse censuit, cum quisque ex eo conflatam animam putaret, quod rerum materiam primam faciebat. Alexander tamen ait humidum simpliciter Hippocratem materiam statuisse, non definiendo vtrum aquam an aerem, ob eamque causam de eo Aristot. dixisse, dignum non esse, qui cum philosophis numeraretur. Nisi (quod verius putatur) id dictum sit, quia impius fuerit, & a Dei cognitione alienus. Quamobrem credit Simplicius φορτικώτερον fuisse in primo libro nuncupatum. Sed ad eam quam de Animæ natura, ac rerum omnium materia opinionem habuerat, referri id potest. Nam quod ad materiam attinet, minus a vero (vt post docebimus) aberrarunt, qui aut aerem, aut quid ab elemẽtis diuersum, quam qui aquã, aut ignem eam statuerunt. Quippe ea contrarietatibus sensilibus minus afficiuntur, quod materiæ proprium est, quæ nulli rei aduersatur, contraria omnia in sese excipiens. Animæ quoque ratione habita Hippocratis, quàm aliorũ sententia absurdior, quod e re crassiori, & ad motum, quàm aer sit, aut ignis, ineptiori Animam gigneret, quæ tenuissimum quiddam videtur, & maxime mobile. Porro hanc de materia opinionem, quæ Thaletis primum, deinde Hipponis fuit, a primis Theologis veluti Homero, & Hesiodo acceptam esse existimatur. Occeanum enim, & Thetim generationis parentes fecerunt, Deorũque iusiurandum aquam eam, quæ a Poetis Styx appellatur. Cum autem iusiurandũ honorabile maxime sit, & quod maxime honorabile id ma-

ximē antiquum, antiquissimam aquam eo modo statuerūt, vt rerum principium primum merito dicatur. Hæc igitur de his, qui aquam rerum materiam esse voluere. Anaximenes vero Milesius Anaximandri socius, ac Diog. Appolonia tes cum aerem antiquiorem esse arbitrarentur, tum eius, tum reliquorum simplicium corporum principium materiam fecerunt. Ac de Anaximenis quidem sententia apud omnes philosophos constat. De Diog. autem non ita. Nam Nicolaus Damascenus in Tractatione de Dijs ait eum corpus quoddam inter aerem, & aquam medium materiam rerum posuisse. Cuius sentētiæ Porphyrius quoque consētit. Quod de eo videntur sensisse, quia terram, & aquam & quæ cernuntur omnia idem natura esse, & alteratione ex eadem reprocreari, ac in idem redire. In lib. de natura tradiderit, ac ea quidem nisi ita habeant, non posse illa aut misceri inter se, aut vicissim pati. Quæ omnia videntur indicare vnum quid ab elementis diuersum, vt materiā eis subiectam Diogenem statuisse. Qui autem alia in eodem libro ab eo conscripta intuetur, facile agnoscit hoc vnum, quod omnia esse, & e quo fieri omnia credidit aerem esse, quem sempiternum statuit, nec cum alijs, quæ gignuntur corporibus numerauit. Nam ex eo vno ea tantum generari dixit, quæ sub aspectum cadunt, quorum in numero aer non est. Hic enim aspectus sensum vsque adeo effugit, vt spatium id inane esse plerique putarint, in quo nil præter aerem cernerent. Aerem autem ideo materiam statuit, quod patiatur facile & altereretur, quæ ipsius materiæ natura est. Hi igitur elementum vnum, quod infinitum esse crediderunt materiam rerum fecere. Alij qui elementum quidem vnum, sed finitum esse censuerunt, ignem posuere, veluti Heracl. Ephesius, & Hippasus Matapōtinus, huius sententiæ authores. Etenim Heraclitus ex igne, seu exhalatione procreatum, & in ignem tandem interiturum mundum sensit. In quam sententiam tum ipse, tum Hippasus venisse existimantur, quod ignem vitalem esse opificemque omnium ad alterandum,

dum, coquendumque aptum conspexerint. Quamquam his argumentis duci potius debebant, vt rerum efficientem, & generantem causam, quod plerisque placuit, non materiam eum statuerent. Vnde dicendum eius potius tenuitate ac raritate ad id statuendum ductos. Nam minimum minimarumque partium id esse oportet, e quo alia procreantur. Quin & elementi ratio hæc est, vt Aristot. tradit, cum hos, qui hanc de igne sententiam habuerunt, cæteris, qui aquam aut aerem crassiora corpora induxerunt, antepõnit. Quæ etiam causa videtur esse, cur terram rerum naturæ materiam, qui posuerit e naturalibus philosophis nemo fuerit inuentus. Partium namque magnitudine nimiaq; crassitie, quæ elementi naturæ aduersatur, constat. Hinc illud Aristot. elementa omnia præter terram iudicem habuisse. Sed quamquam physicorum nemo id censuerit, a Theologis tñ veteribus posita est, & a plerisq; etiam alijs. Qua fortasse de cãoĩum nutrix, & Deorum antiquissima a Platone in Timæo appellatur. Matris namque ac nutricis more materiam & alimentum suppeditat, ex qua res & oriuntur, & cum ortæ sunt aluntur, & incrementa sua accipiunt. Sed Parmenides quoque rerum, quæ oriuntur, sensilium materiam, principiumque primum terram fecit. Nam ens vnum & immobile cum statuisset, ac sensilia generari conspiceret, eorum duo fecit principia ignem & terram, quorum ignis causæ efficientis, terra materiæ & patientis munere fungeretur. Ita de eo Theophrastus sensit. Quem recentiores quidam videntur quodammodo secuti, quippe qui calidũ, & frigidum prima ponunt principia, cœlumque & terram prima & simplicissima corpora, hanc vt materiam, illud vt causam agentem, quæ ex ea omnia generet, & reliqua etiam elementa consentanee aliquo modo Mosis, seu sacrarum litterarum traditioni, qua cœlum & terram initio condita ponuntur. Atque hæc de terra & alijs elementis, quæ pro corporum materia separatim quæque sunt posita. Ad eos accedendum, qui diuersum quid ab eis, mediumque inter

ea materiam fecere. Horum igitur alios simplex corpus aere rarius & igne densius, alios quiddam inter aquam & aerem medium, alios quid infinitum, in quo omnia veluti inessent confusa & permixta legimus inuexisse, quamquam qui medium quid posuerint satis non constet. Simplicius autem sui veluti oblitus cum Diogenem Anaximeni adiunxisset, eumdem postea inter aerem, & ignem medium quid (ait) statuisse, Anaximandrum vero inter aquam & aerem medium quod ab Aristot. in tertio de Cœlo traditum sit, cum eorum sententias commemorat, qui vnum ex elementis materiam esse voluerunt; quod quidem dubium videtur. Libro enim 12. Metaph. dicitur mixtum quoddam ab Anaximandro inductum, ob eamque causam cum Emped. & Anaxagora eo in loco numeratur. Cuius etiam rei gratia cum eisdem collocatur, quod secretione ex vno res fieri omnes sensissent. In eo igitur de Cœlo libro nulla Anaximandri mentio, quod Simplicium secuti alias censuimus, fieri videtur, cum præsertim de his eo in loco agatur, qui raritate, & densitate non autem secretione res fieri arbitrabantur. Sed seu mixtum, seu medium statuerit, infinitum statuit, ob eamque causam procreationem non deficere, infinitate illa materiam suppeditante. Infinitos etiam (vt Plutarchus de eo refert) gigni mundos, & rursus in id, vnde orti sunt, recidere. Quicunque autem hi fuerint, qui mediũ corpus induxerunt, eò videntur ducti, quod illa ex sese vicissim oiri cernerent, nec vnum aliquod ex eis esse, quod immutabile permanens cœterorum ortui subijceretur. Aliud itaque pro materia subijciendum putarunt, quod mole esset infinitum, vt rerum ortus perpetuo (vt dictum est) duraret, nec vllo vmquam fine clauderetur. In hac materiæ infinitate Thales, & Anaximenes cum eis (vt diximus) consentiunt. Melissus etiam Galeni sententia illud ens vnum immobile & infinitum ad rerum materiam significandam innexit. Qui igitur materiam corpus vnum & quibus rationibus fecerunt, seu finitum, seu infinitum, seu elementorũ

vnum,

vnum,seu quid diuersum hactenus retulimus. Eos iam exponamus qui plura corpora eam esse tradiderunt. In his Parmenidem Aristoteles numerat,Empedoclem, Anaxagoram,atq; Democritum, quorum hi infinita,illi finita & certo numero conclusa. Sed in his numerandus Parmenides potius videtur,qui vnum fecerunt. Nam ignem & terram licet posuerit,ignẽ tamen vt efficientem causam,non vt materiam,Theophrasto,quemadmodum tradidimus,authore, induxit. Empedocles autem quattuor elementa, quod cis nil prius esse cerneret,omniaq; ex eis oriri, illa non ex alijs, sed nec ex sese,quippe quæ immutabilia & impassibilia esse existimaret.Anaxagoras particulas infinitas rerum omnium inter se contrarias genere diuersas & similares,ab initio inter se confusas,& permixtas. Ita multis modis ab Empedocle dissensit. Sed in eo concordauit, quod, quemadmodum ille,immutabiles particulas eas,quæ nec orirentur, nec interirent, quæ materiæ ratio est, esse constituit. Quin & ex eis multis seu elementis,seu similaribus partibus materiam vnam conflari vterque voluit,vt ob eam causam vnum & multa materiam eos fecisse in Naturali Auscult. Aristot. dixerit. Quam vnam materiam tum in mundi, tum in rerũ singulari ortu induxerunt. Anaxagoræ opinionem Archelaus Atheniens probauit, etsi propria quædam attulit, partim in mundi, partim in cœterarum rerum procreatione. Contrarias autem dicitur Anaxagoras particulas posuisse, quoniam plures in eis, quam in elementis ab Empedocle positis contrarietates insint. Ac in eam quidem particularum illarum infinitate, & permistione sententiam eò peruenit,quòd axioma illud physicum,nihil e nihilo fieri, verissimum putaret,omniaque semel genita, cum antea nõ essent,existimaret singulaq; etiam ex omnibus quottidie gigni, eorumque generationem sempiternam esse. Hæc fieri non potuisse aliàs,nec nunc posse, nisi simul omnia fuissẽt particulis infinitis inter se permistis, simulque etiam nunc permista,vt quiduis sit in quouis,perseuerent.Poema itaq;

suum

suum ab illo exorsus est, ἦν ὁμοῦ τὰ πάντα. i. simul erant omnia. Leucippus autem & Democritus infinita quidē corpora vt Anaxagoras, sed generis eiusdem sola inter se differentia figura, ac ea quidem minima & insensilia, vt ob eam causam atomorum nuncupationem retinuerint. De quibus Lucretius in prioribus Poematis sui libris præclare disseruit. Epicuri enim physiologiam cecinit, qui Democritum, & Leucippum in atomorum constitutione magna ex parte secutus est. Ille igitur corpora ea insectilia rerum initium esse docet, nec quia ob paruitatem non cernantur, idcirco non esse, cum & multa alia in rerum sint vniuersitate, quæ tamen sub oculorum aspectum non veniunt. Esse autem illa coloris sensiliumq; omnium qualitatum expertia, figurata duntaxat, eoq; solo inter se diuersa, quòd alia aliā figuram acceperint. Ex eis vario & assiduo motu, quo celerrimo per inane agitantur, res oriri, & in eadem perpetuo dissolui, nihilque non ex diuersis atomorum figuris existere, etsi non omnes omnibus queant colligari. Inane item in illis insertum esse, idque vna cum eis materiam rebus omnibus præstare. Quæ omnia Leucippo, & Democr. diuersis in locis Aristot. tribuit, corporaque hæc indiuidua plenum sæpe, seu etiam ens nominat, quod vna cum inani copuletur. Nec ea absque inani necti posse, nec aliquid quod agat aut patiatur, aut omnino immutetur, ex eis solis absq; inani procreari. Ideo & ea quia inane inter se non habent, nec diuidi posse, nec pati. Et hi quidem omnes materiam corpoream fecere. Qui autem corporis expertem bifariā sunt distributi. Alij sententiam suam ænigmatibus inuoluerūt, alij aperte & nullis inuolucris quid sentirent tradiderunt. In priori ordine Pythagoricos Aristot. numerat. Ij numeros aut numerorum elementa, nempe finitum aut infinitū, seu par & impar rerum initium & materiam statuerunt, eò ducti, quod numeris, quos primos in natura esse arbitraban tur, plures rerum similitudines inesse cernerent, quam in his, quæ vocantur elementa. Quarum similitudinum ratio-

nem

nem Aristot. breuiter cum attigisset, Alexander pluribus explicauit. Sed ea omnia prætermittenda, cum nihil firmum certumque habeant, nihil quod ab hominum opinio ne non pendeat; Vt interim mittamus, nulla extare, nec vnquam visa scripta Pythagoræ huius sententiæ authoris. Nil enim ille scriptum reliquit, & si quid scripsit, id Danææ filiæ moriens commendauit, monuitq; vt secretum custodiret. Quod illa diligentissime seruauit, tenuitque clam omnibus præterquàm patris discipulis, quibus illius sententias duntaxat exposuit. Vix ergo fieri potest, vt certi aliquid de eo dogmate habeamus. Quod & de his, quæ ab alijs Pythagoricis tradita sunt, dici potest. Eos dico, qui rerum principia duplici serie complectebantur, quarum quæque decem initia contineret, vna bonorum, altera malorum. Quæ referente Aristot. hæc sunt. Bonorum, scilicet Finitum, Vnum, Impar, Dextrum, Mas, Quiescens, Quadratum, Rectum, Lumen, Bonum. Malorum autem Infinitum, Multitudo, Par, Sinistrum, Fœmina, Motum, Altera parte longius, Obliquũ, Tenebræ, Malum. In quæ rerum principia quomodo res omnes referrent, non satis ab eis fuit explicatum. Ea vero & Alcmęon probauit, incertumque ait Aristoteles vtrum hic a Pythagoricis, an illi ab eo illa sumpsissent. In his ipsis, qui materiam corporis expertem inuolucris quibusdam tectã posuerunt, potest Plato numerari, quatenus magnũ & paruum materiam fecisse traditur, quo in decreto quid voluerit certi nil potest statui. Nec enim apud eum aliquid legimus, quod ad id spectet, aut ad eius intelligentiam aditum aliquem præbeat. Materiam tamen paruum dictam censetur, itemq; magnam, quòd sua natura magnitudinis expers eam omnem possit accipere. Esse autem in rebus defectionem & exuperantiam, multum & paucum, magis & minus, quæ cum materiæ ratione in eis insint, duobus hisce vocabulis indicatam, Philoponus & alij aliàs afferunt causas, de quibus in lib. De Dogm. Sed Plana quoque & superficies rerum materiam primam dici potest posuisse, siquidem elementa

menta ex eis constituit, quod tamen ænigmatice traditum, nemo est, qui dubitet, cum ab omni ratione & mathesi alienum sit ex superficiebus corpora componere. Quemadmodum & numeros Pythagoricorum sententiam secutus cum ponit primam rerum omnium veluti materiam. Sed præter hæc eius de materia dogmata ænigmatibus inuoluta, de eo in Timæo aperte agit; & naturam quandam esse tradit, formarum omnium ex se expertem, quæ eas tamen omnes possit capere, rerum genitarum veluti mater, ac nutrix. Quæ omnia Aristot. a magistro accepta de eadem postea tradidit. Et hæ quidem diuersæ sunt, ac multiplices de materia prima veterum opiniones, quæ vtrũ ita habeant, necne, disquirendum.

Materiam primam nullum eorum corporum esse quæ veteres eam statuerunt. Cap. VI.

AC primum quidem quoniam veteres ferè omnes materiam corpoream fecerunt, seu elementorum vnum, seu quid ab eis diuersum, seu plura corpora, & aliqui etiam infinita, vtrum hoc esse possit necne vidẽdum est. Illudque in primis an eorum corporũ, quæ ab eis posita sunt, vnum aliquod ea sit, atque si nullum est, corpusne omnino esse possit, & formam, quod dicitur, corporis obtineat. Aristot. quædam ex eis materiam esse non posse, alia ne in rerum quidem vniuersitate inueniri multis rationibus demonstrat. Elementa quidem aut vnũ, aut plura esse non posse, atomos vero & omnino infinita corpora insectilia nullo modo extare. Quæ rationes tum materiæ, tum eorum corporum spectata, & inter se collata natura, magna efficacitate, vt eius plerę que omnes esse solent, præditæ videntur. Quarum robur & momentum vt perspicuum sit, hæc de rerum ortu, & materia ponantur. Materiæ proprium esse pati, & recipere, non agere, nulli eorũ,

quæ

quæ ex ea fiant, aut etiam formarum, quas accipit, aduersari; Primum subiectum esse, quod æternum sit, nec ex alio oriatur, simplex, & nullius concretionis particeps. Quomodo enim ex ea generans causa aliquid efficiet, nisi ab eo perpetiatur, eiusque quod gignitur formam in se accipiat? Quomodo si aget materia erit? quippe actio in materiam est, non a materia. Hinc prolis materia, prolem aut fœtum ex se non edit, nisi a generantis vi, quæ in semine inest, perpetiatur. Qui etiam rei genitę pars & materia esse poterit aut eius formam in se admittere, si ei repugnet, & aduersetur? Quod nisi subiectum primum sit, materia prima non est, nisi æternum ortum erit aliquando, & interdum interibit. Quare ex alia, & in aliam materiam, vt iam prima esse non queat. Quod idem incommodum contingit, si aliquo modo concreta nec simplex statuatur. Ex materia enim & forma concreta sit necesse est. Ortum autem alterationem non esse ponendum, nec ex subiecto, quod actu sit, fieri, nilque sensile in eo manere, quod rei, quæ gignitur subiectum sit. Nec enim ortus erit, si alteratio tantum sit, cum hæc ad qualitatem tantum, illa ad substantiam ducat. Alteratio autem erit, si ex subiecto actu existat. Nā in subiectum, quod actu est, nulla substantiæ forma potest induci. Quare ortus ex eo esse non potest, nisi formam, qua actu est, deperdet, ac subiectum, quod potentia tantum sit, remaneat. Quod si sensilis aliqua remanet qualitas, vt in aere videtur, cum ex eo fit aqua, nimirum humor aut perspicuitas, aquæ formæ, quę oritur subiectum non est, quomodo lignum est, cum incalescit, caloris. Sed hæc nunc satis attigisse, quę suis locis fusius explicabuntur. Quibus ita positis & constitutis elementorum nullum materiam primam esse posse ex Aristot. demonstramus. Primum ea inter se contraria sunt, calore, frigore, humore, siccitate constantia, vicissimq; agunt, & patiuntur, agentibus nimirum & patientibus facultatibus prædita. Oriuntur deinde per partes perpetuo & intercunt, vicissimque alterum ex altero procreatur. Ideo

mcc

nec æterna sunt, nec prima, subiectumque aliquod requirunt, quod eorum ortui & interitui substratum sit, nuncq; huius, modo illius formam accipiat. Eorum igitur nullum materiæ primæ, vel minimum quid rationem potest habere. Nec ignis, aut aeris tenuitas, vel huius natura minime omnium sensilis, non item aquæ humor ad gignendum & alendum maxime accommodatus ad materiæ primæ rationem sunt satis, quamquam aliquod ad eam habeāt momentum. Cœtera quæ commemorauimus potissima sunt, eiusque rationem constituunt, quæ nisi adsint, reliqua conferre nil possunt. Tenuitas præterea crassitiei aduersatur, vt si quid tenue materia prima sit, contrarium aliquod ea protinus habeat, & cum crassum ex eo oritur, intereat, quod materiæ primæ repugnat. Sed præter tenuitatem maxima in igne inest actiuitas, qua in reliqua omnia agit, & ea absumit: hac itaque etiam ratione materia esse non potest. Aer autem omnium quidem elementorum sensilibus contrarietatibus minime afficitur, ex quo hi, qui eum materiam statuerunt, præ cæteris ab Aristot. commendantur. Sed tamen & ipse quoquo modo sensilis est, caloreque & humore constat, quorum merito cæteris elementis aduersatur. Aqua viuentibus quidem alimentum in primis præbet, ob eamque causam & ortus materiam, siquidem hisdem res constant quibus aluntur. At nec sola aqua aluntur, quæ viuunt, nec hæc tantum gignuntur. Alia complura sunt, quæ ex ea non fiunt, vt quæ ex terra constant, aut quæ aerea, aut ignea. Elementa etiam ex omnibus vicissim gignuntur, nō ex vna aqua. Minime omnium terra materia esse potest, quamquam stirpium & animantium tot edat genera, & nutriat, tot item rerum cęterarum, vt lapidum, metallorum, succorum concretorum, vt vere omnium mater dicatur, cū præsertim aqua etiam & ignis ex ea gignantur. Nam sui mutatione & in hæc conuersione hæc gignit, nec permanet quod erat, quod materiæ tamen proprium est, crassissimarū etiam partium est, ob eamque causam à veteribus fere omnibus

nibus in materia statuenda contempta. Nullum igitur vnũ elemẽtum materia prima pōt constitui; Sed nec duo aut tria ex eis, aut etiam omnia simul permixta. Nam vt cæterarum rerum veluti lapidum, metallorum, stirpiumque & animaliũ materia prima esse possint, ipsorum tamen per se elementorum, quæ oriri perpetuo & interire cernimus, materia esse permixtio illa non potest. Aut materia permixta erit & concreta, idque quod ex ea oritur simplex, quod ne fingere quidem licet. In mixti enim interitu elementa quidem ex eo videntur oriri, sed tamen proprie non oriuntur, cum antea inessent aut actu, aut medio modo inter actum & potestatẽ. Empedoclis autem de elementorum immutabilitate sententia sensui adeo repugnat, vt eã ratione refellere opus nõ sit. Quis enim aperte non videt aquã in aerem, & hunc in aquã mutari? Sed ne aliarum quidem rerum materia prima permistio illa esse potest, nisi elementorum ipsorum concretione quadam sola, & partium minutarum non alteratarum iuxta positionem, non item vera admistione gigni res dixerimus, quod falsum esse Aristot. optime monstrauit. Nec enim forma vlla substantialis, aut natura vlla ex hac elementorum compositione exoritur. Quod si vere, ac perfecte elementa, vt suo loco ostendemus, admisceantur, cũ id sine alteratione esse non queat, subiectum habeat, quod omnino immutabile permaneat, necesse est. Alioqui materia eadem semper non erit. Quin & eorum nullum separatim primum est, ex quo alia fiant, sed subiectum, quodque habet, e quo progignitur, vt iam docuimus. Simul ergo etiam sumpta cũ eandem, quam antea, habeant naturam, subiectum aliquod habebunt. Non solum autem elementorum nullum, aut separatim, aut cum alijs materia prima esse potest, sed nec aliud corpus, seu medium inter ea, seu non medium. Nullum enim tale simplex corpus existit. Quod si esset, materiæ profecto rationem verius, quam elementorum vllum obtineret. Ex quo eius authores præ cæteris ab Aristotele, vt dictum est, commendantur. Qui autem eiusmodi corpus esse queat?

C Nam

Nam mathematicum quidem non est, nec enim materia naturalium rerum, cum animo tantum consistat, esse possit. Sed nec eius generis a physicis illis inuectum est, verum naturale rarius aere, & densius igne, vel aere densius & aqua rarius, vel etiam infinitum quid, ex quo omnia secernantur. At naturale omne sub tactum potest cadere; Ita enim secundo de ortu est definitum. Calidum itaque, aut frigidum, humidum, aut siccum erit, graue item aut leue, alijsque tactilibus qualitatibus præditum; Elementorum igitur aliquod, siquidem hæc sola ex primis tactilibus qualitatibus existunt. Ex motu item idem ex Aristotele potest monstrari, ex grauitate præterea & leuitate, quibus corpora mouentur. Nam cum motus aut in orbem sit, aut rectus, & hic vel sursum, vel deorsum, aliquo horum motuum cieatur necesse est. Alioqui naturale non esset. Si igitur in orbem, erit cœlestis naturæ, sempiternum, & immortale, ex quo vt ex materia gignatur nihil. Sin sursum, aut deorsum, ignis, aut terra, aut intermediorū aliquod. Hæc enim & non alia hisce motibus cientur. Simplex igitur hoc corpus ab elementis diuersum, quod omniū materia sit, esse non potest. At nec similares Anaxagoræ partes in chao confusæ, nec Democriti immutabilis atomorum multitudo. Primum enim infinitudo & naturæ & principijs repugnat. Infinitum namque in materia nullum esse potest, multo minus in principijs. Rerum enim naturalium, quæ ex eis constabunt, scientia tolletur, siquidem infinitum sciri nō potest, ac principijs ignoratis, reliqua ignorari oporteat. Concretæ etiam sunt similares illę partes, aliamque habent materiam priorem, aut elementorum admixtionem, aut etiam simpliciorem. Sanguinis enim & aliarum similarium partium natura ex elementis prioribus oritur, figmentumque est in illis actu eas latuisse, & solum secretas, nec genitas. Quamquam fortasse Anaxagoras materiam potestate in se omnia cohibentem Chao illo ac rerum omnium admistione & confusione indicauit. Atomi autem seu indiuidua corpora nulla sunt, aut esse possunt. Omne enim corpus infinite

finite poteſt diuidi, nec ad ſtatum in diuiſione perducimur. Nam quamquam minima in rebus naturalibus ſunt, quæ vlterius non poſſunt, quatenus tamen corpora, & naturalia etiam in genere diuiſionem patiuntur. Atque ſi id interit, quod diuiditur, aliquid aliud ex eo exiſtit. Corpus item omne naturale ſenſilibus conſtat differentijs, cuiuſmodi Democrito atomi non ſunt. Eas quippe ſenſilis omnis qualitatis expertes induxit. Naturales igitur non erunt. Ita naturalis corporis materia non naturalis. Inane item nullum eſt, quod in eis inſertum illas nectat & copulet: & quamquam eſſet, quis nexus ille ſit, aut vinculum ne animo quidem fingi poteſt. Et hæc quidem ſatis de harum ſententiarum refutatione.

Materiam primam corpus nullo modo eſſe, nec corporis formam ex ſubſtantiæ genere ſibi coæuam habere. Cap. VII.

Illud vero videndum, cum nullum eorum corporum, quæ a veteribus poſita ſunt, materiã eſſe docuerimus, vtrum omnino corpus ſit, aut eſſe poſſit; corporiſque aliquam habeat formam. Nam inter veteres Stoici & ex recentioribus Proclus Lydus qualitatis quidem expertem, ſed tamen corpoream materiam fecere, idque ex Platonis, & Ariſtotelis decreto: quod aliquot rationibus confirmarunt, quas paulo poſt commemorabimus. Nam primum, quod rei veritas eſt, docendum, abſolute eam corpus non eſſe, nec fieri poſſe vt ſit, niſi ortus prorſus tollatur. Materiam enim ſemper manere, nec mutari, multoque minus tolli neceſſe eſt. Corpus igitur ſi ſit, atque permaneat, ex eo nil orietur, ac ſola in rebus alteratio manebit. Quomodo enim ex eo, quod permanet, oriri aliquid poteſt, niſi idẽ diuerſum quid ponatur? Ex aere ſemper manente numquam aqua orietur, niſi idem aer ſit, & aqua. Cum igitur res oriantur, ex eo oriri oportet, quod poteſt permanere, ac ortum illum in ſe ac-

cipere. Id corpus esse non potest, quippe quod aliud quid actu est. Aliquid igitur sit necesse est, quod corpus non sit, eiusque, quod oritur, formam possit accipere. Ac quamquã ortus omnis ex aliquo corpore fieri videtur, illud tamen, e quo fit, alio oriente, necessario interit, siquidem ortus vnius alterius semper est interitus. Cum aer oritur, ex corpore aliquo semper oritur, igne vel aqua, vel terra, vel alio. Sed eo ipso, quo oritur, illa intereunt. Materia autem, quæ subijcitur, nec corpus aliquod est, permanet, & ex forma in formam mutatur. Iam vero si materia corpus esset, permanere id oporteret, quare nil oriretur. Hinc eos omnes, qui corpus aliquod materiam fecerunt, ortum omnem sustulisse sola alteratione relicta Aristoteles testatus est. Quod quam sit incommodum & a vero alienum nemo non videt. Sola etenim qualitate hoc modo res different, omniaque vnum erũt, solis qualitatibus differentia. Quamquam incommodum hoc fateri veteres viderentur, cum omnia vnum dicerent, & formas omnes in accidentibus, & qualitatibus numerarent. Nec vero ortus alteratio est quædam, sed ab ea magnopere differt. Nam præter cætera alteratio motus est, id quod ortus non est, siquidem quod mouetur est, & quod oritur non est. Quatenus igitur oritur, non alteratur. Aut itaque nullæ res oriuntur, aut mutatione, quæ ab alteratione diuersa est. Hoc præterea corpus sub sensum cadet, vtpote naturale, sensileque tactu erit, vt a generante causa attingi, afficique valeat. Qualitatibus igitur tactilibus præditum ac proinde contrarietatis, actiuæque naturæ particeps, quod materiæ, vt antea dictum est, repugnat. Totum præterea in ortu, si sensile sit, in totum non mutabitur nullo sensili manente, quod ortus proprium esse, quo ab alteratione differat, primo de ortu Aristot. tradit. At qualitatis expers corpus, nec sensile Stoici, & Proclus (vt mox diximus) materiam ponũt, idque ex Aristotele, ac Platonis sententia. Quod si ita sit, quæ nunc allata est, ratio nullius erit efficacitatis. Videndũ autem quibus rationibus nitantur, summque hoc confirmẽt

decre-

decretum. Primum igitur eò probant, quod primæ elementorum qualitates, quarum vi inter se mutantur, subiectum commune corpus id necessario habent, quod mutationi eiusmodi substernatur. Deinde quod corpori illi subiectum aliud si esset, quod materia prima diceretur, ad idque corpus mutaretur, contrarium aliquod ei corpori, e quo mutatio fieret, esse oporteret, atque e non corpore corpus fieret. Omnē enim mutationem inter opposita esse, & ex oppositis. Præterea quòd corpus remaneat, idque quod remanet, in omni mutatione materiæ locū obtinere. Quod nisi remaneneret, sed, quemadmodum aliæ formæ, recederet, & accederet, eius priuationem in materia necessario esse, naturalemq; substantiam corporis expertem existere, quod Aristotelis doctrinæ aduersatur. Platonis autem decretum esse, inde intelligi, quod aiat elementorum formas in materia primum opificem posuisse, quod esse non potest, nisi materia corpus sit, quandoquidem illę in subiecto primo sunt corpore. Hæc illi; quorum sententiam Auicenna, & alij multi probarunt, qui corporis ex substantiæ genere formam in materia coæuam statuerunt, eamque ex Aristot. dogmatibus suis & illi rationibus ducti. Partim ne formæ creentur, atque ex nihilo oriātur, partim propter diuisiones, quæ nisi huius formæ merito fiant, dimensiones per quas efficiantur ante omnem formam in materia ponere oporteat. Præterea vt formas appetere possit materia. Ex se nāq; minime appetere, sed eius formæ beneficio. Hāc vero & Auer. sniam esse, cū alijs in locis, tū in 3. de cęl. Vbi illud Arist. sensiliū sensilia, ęternorum æterna, & corruptibiliū corruptibilia oportet pricipia statuere, expones de propinquis, & non remotis principijs intelligendum ait, q̄ remota sensilia non sint, vt materia prima & forma prima. Per formam enim primam nullam aliam ab eo intelligi, nisi hanc corporis formam, quæ re vera vt materia prima sub sensum non cadit. Sed hos omnes tum a naturæ veritate, tum ab Aristot. & Platonis dogmatibus aberrare, materiamque primam corpus id qualitatis expers non esse, nec vl-

lam corporeitatis,vt loquuntur,formam sibi coæuam habere, multis modis monstratur. Primum quidem quia id corpus qualitatis expers cum sit,sensile non erit ; Quare non naturale, Mathematicum igitur. Nec enim aliud inter hæc existit. Nam metaphysicum nullum est, quemadmodum his placuit. Qui vt Mathematicum trina constans dimensione,& naturale quod qualitates sensiles adiunctas, præterea habeat,ab omnibus conceduntur, ita metaphysicũ quoddam statuendum esse putaruut, quod ex materia & corporis de substantiæ genere forma quadam concretum sit a quantitate,& qualitate abiunctum. Sed huius generis corpus nullum est, nisi animo & cogitatione, quemadmodum nec forma,per quam aiunt constitui, quæ a singulorum corporum formis abiuncta sit. Nisi generum formas a specierum & singularum rerum formis abiunctas quis ponat,quod & Aristoteli, & omnino veritati aduersatur. Nam plures in eodem formę vna inter se diuersæ ponerentur. Sed quoniam hanc formam posteriores hi Peripatetici in materia statuunt, atq; ex ea & materia primam rerum materiam Stoici componũt, alijs etiam est rationibus refellenda. Eam tamen, quæ nunc allata est, quoniam efficax est, primum dilatemus, eiusque vim & efficaciratem ostendamus. Nullam ergo corporis,qđ genus est, formam,a singulorum corporum formis abiunctã & diuersam,quæ illis mutatis, & sibi in materia vicissim succedentibus permaneat,esse astruimus. Eamque non magis esse posse, quam animalis formam a singulorum animalium formis re ipsa disiunctam. Vt igitur hæc nulla est, sed in singulis semper inest,ac si animalia omnia tollerentur,nulla cõmunis remaneret, ita & multo etiam minus corporis formã nullam a singulis corporibus diuersam esse dicendum est. Quod eo confirmatur,quia fieri non potest, vt quid alicuius generis particeps sit, quod non aliquam eius speciem, aut etiam speciei indiuiduum aliquod non similiter participet. Quæcunque ergo corporis forma in materia inest, illa necessario, aut ignis est, aut alicuius cæterorum elementorum.

Quippe

Quippe eorum formæ priusquam aliarum rerum materiam informant, estque elementorum compositio in substantijs naturalibus prima. Perspicuum igitur est, nullam per se corporis formam ab aliorum corporum formis separatam in materia esse. Quod hoc quoque modo comprobatur. Corporis hæc forma si in materia inesset finitatem, cognitionem, vnitatem, & omnino omnia, quæ a forma proficiscuntur, ei tribueret. Esset igitur materia ex se semper finita, numeroq; vna omnium rerum, ac per se, nec sola analogia nosceretur, quæ omnia a materiæ natura abesse, & a formis singulis accipi in progressu docebitur. Cœteræ item omnes formæ, quæ ex materiæ sinu educuntur, & in ea gignuntur in eam corporis formam reciperentur, essentque etiam accidentia. Nam id quod actu & corpus esset informarent. Quo argumento nullam in materia formam propriam inesse, sed sua natura informem Auerroes monstrauit. Nec ad id, quod aiunt licet confugere, hanc formam ad alias recipiendas tantum præparare, nec vna cum materia eas recipere. Nam si in materia inest, ac cum ea corpus conficit, non possunt formæ non in id recipi, quomodo & elementa inter se mixta, mistionis formam accipiunt, quomodo item corpus animã. Quin & Stoici illud corpus materiam faciunt. Quod si materia est, formas accipiat necesse est. Nec præparatio receptionem impedit, quomodo lignum calore præparatum, calidũque factum ab ignis forma accipienda minime impeditur. Lignum enim calidum, non lignum absque calore formam eam accipere dicitur. Ex hac itẽ præparatione non fit quin & materiam terminet, & actu constituat, vnitatemque & cognitionem ei impartiatur. Quoniam igitur nulla eiusmodi in materia inest forma, corpus id metaphysicum nullo modo erit, ob eamque causam materia eo corporis genere comprehendi non poterit. Cum autem nec naturale esse, siquidem qualitatum expers, ponatur, mathematicum esse, si sit, relinquitur. At ex substantiæ genere forma hæc corporis esse statuitur. Sed ne mathematicum quidem omnino ac sim

pliciter dici poteſt, niſi quantitatem materiam primã (quod abſurdum eſt) faciamus. Rurſus materiam corpus non eſſe, nec corporis formam habere ita poteſt monſtrari. Corpus omne ſuapte natura finitum eſt, aut certe ſi libet, nec finitũ, nec infinitum. Nullumque quod per ſe, ac natura ſua infinitum. Materia autem vi ſua ac natura quodammodo infinita eſt, quippe quæ a formis finitatem omnem accipiat, quarum videlicet proprium eſt finire, ac terminum præſcribere. Corpus igitur eſſe non poteſt. Nam quod re uera materia finita eſt, vtpote mundo concluſa a formis elementorum, quibus ſubſtrata eſt, ſortitur. Alioqui vim ſuam, ac naturam, ſi animo concipiamus formis omnibus nudatam, infinitam quodammodo intelligemus, nulliſque limitibus circumſcriptam. Quomodo aquam, niſi alieno termino coerceatur, infinite quaſi ex ſe fluere videremus, ita & materia niſi a formis terminaretur infinita quædam eſſet extenſio. Quod Ariſtoteles animaduertens in Naturali Auſcultatione formam loco ſimilem facit, vt quæ indefinitam magnitudinis materiã complectatur, & finiat. Nec Plato de materiæ infinitate aliter videtur ſenſiſſe, cum duobus illis infinitis, magno, ſcilicet & paruo eam ſignificauit, eiuſque naturam indicauit. Cum item in Philebo duo genera Deum oſtendiſſe vnum infinitũ, alterum terminum, vel finem. Sed quo tandem modo infinita ſit & finita in progreſſu explicabitur. Illud certum, in corpore quam in materia longe maiorem finitatis rationem ex ſe, & vi ſua ineſſe. Quo fit vt illa corpus eſſe non poſſit. Quod ita etiam patet, quoniam corpus cum ſit finitum, figura aliqua concluditur, & terminatur. Materia igitur corpus ſi ſit, figurata erit. Quare ſenſilium qualitatum non prorſus expers. Nam etſi ſenſilium propriorum figura non eſt, in cõmunibus tamen numeratur. Ariſtoteles item materiam corporis materiam, non corpus nominat, eamdemque eſſe ait, magni corporis & parui. Ita corpus ſeu paruum, ſeu magnum, alterutrum autem, quodcunque ſit oportet, materiã aliam obtinet, quæ corpus eſſe non poteſt. Quoniam autem

mate-

materia nec corpus eſt, nec corporis formam habet, inane quiddam eam eſſe nonnulli cenſuerunt, cum id inane eſſe crederent, in quo nec hoc aliquid ineſſet, nec aliqua ſubſtantia corporea. Quod etiam Democriti fuit dogma, quicquid eſt præter plenum, hoc autem eſt corpus, inane ſtatuentis. Quos in quarto Phyſicorum Ariſtoteles reprehendit. Non quod materiam corporis expertem putarent, cum & ipſe hoc arbitraretur, ſed quòd inane eſſe eam ob cauſam tradidiſſent. Quod minime fieri debebat. Nam quamquam inane in rebus eſſet, ab eo tamen materiæ natura longe diuerſa poneretur. Nec enim ab eis, quemadmodum inane poteſt abiungi. Infinitum præterea ignotum eſſe non alia ratione in eiuſdem operis tertio idem monſtrauit, quàm quòd materia ſit, quæ formam non habet, a qua omnis cognitio deſumitur. Ideo (inquit) infinitum qua ex parte infinitum eſt, ignotum eſt, Speciem enim ſeu formam materia non habet. Cum his verbis, formā materiæ negauit, non aliā negare potuit, quam eā, quę eius propria videretur, & ei, vt materia eſt, cōgrueret. Nec enim formā non habere eā ita ait, quaſi abſq; forma cōſiſtat, quippe quā formis perpetuo ſubiectam arbitretur. Cum ergo ꝑ propriā formam res agnoſcatur, infinitum, quod eius expers eſſet, vtpote materiæ habens rationem, quatenus infinitum, ignotum eſſe tradidit. Formam itaque propriam materia non habens, corpus nullo modo eſſe poteſt. Rurſus materia corpus ſi eſſet, priorem materiam haberet. Omne etenim corpus e materia, & forma concretum eſt. Hiſce rationibus ſatis oſtenſum arbitror materiā primam nec corpus eſſe, quod in ſubſtantiæ genere ponatur, nec eiuſdem generis formam coæuam habere.

Rationum, materiam corpus esse, aut corporis formam sibi coæuam habere concludentium solutio.
Cap. VIII.

Reliquum est vt eas quæ contrarium docent, materiam, scilicet, aut corpus qualitatis expers esse, aut corporis formam habere a Stoicis, & alijs conclusas rationes diluamus. Dicitur itaque qualitatum primarum subiectū elemēta esse ex materia prima & formis suis substantialibus concreta. Nec materiam, vt illis substernatur, corpus esse oportere, quippe quæ illis non substernitur, nisi formis, quibus elementa constant, intercedentibus. Quod si qualitatibus illis, vt formis elementa constare cum Alexādro, Galeno, & alijs plerisque aliquis censeat, non aliter omnino ei dicendum est. Erunt enim qualitates illæ substantiales, quæ in materiam primam accipi poterunt, atque elementa cum ea conficere. Potissimum si dimensiones interminatæ in materia ponantur, quibus medijs formas eas illa accipiat. Nec vero corpus vllum, quod corpus tantum sit, nō item aer aut ignis, aut aliud quidpiam, ex materia oritur, nisi generis formam separatam & per se consistentem a rebus singulis, & speciebus abiunctam ponamus. Quod quidem corpus si gigneretur, ex contrario profecto, vt aliæ etiam formæ gignere tur, nempe ex non corpore, at quòd vna cum particularibus formis gignatur, non ex non corpore fieri corpus dicitur, sed ignis exempli gratia ex non igne. Ac cum materia, corporis alicuius materia semper sit, vtpote formis numquam nudata, non ita ex non corpore corpus, vt ex non aere aer fieri proprie dici potest. Illud etiam dixerit aliquis, cum dimensiones interminatæ in materia, vt docebimus, insint, earum tantum terminum in ortu acquiri, non item eas, quæ in materia iam insunt; Quamobrem nec corpus, cuius illæ initia sunt, & veluti materia. Non igitur efficitur, vt e non corpo-

re corpus oriatur,nec quia aer gignitur,aut aqua,idcirco & corpus generatur, nisi quatenus corporis forma in aeris, aut aquæ formis,vt magis commune in minus communi,concluditur. Nec vero corpus vllum in elementorum mutatione remanet,nec eius propterea per se priuatio in materia inest, quandoquidem nec forma a particularibus (vt dixi) abiuncta. Nec inde efficitur vt naturalis substantia corporis sit expers. Interminatæ dimensiones in matetia tantum remanẽt, quæ veluti materiæ obtinent rationem. Quarum terminus vna cum forma,a qua existit,re pereunte tollitur,vnaque etiã corporis,quæ ex substantiæ genere est,forma, vt quæ in ea, quæ interit,veluti genus in specie,aut in indiuiduo insit,nõ aliter atque animalis forma tollitur,ea,quæ hominis est, sublata. Ac quemadmodum vna cum ea,quæ interit,tollitur, ita simul cum ea,quæ oritur,rursus accedit. Non etiam absurdum est,corporis priuationem in materia inesse, huius videlicet,aut illius,non corporis simpliciter. Nam sub corporis forma simpliciter semper est materia, quomodo & semper priuata est,licet formis semper subijciatur. Illud vero falsum, elementorum formas in subiecto primum corpore inesse,immo,vt Aristoteles docet, ex eis& materia, quæ corpus non est, elementa existunt. Quamquam ergo opificem elementorum formas in materia primum ponentem Plato inducat, non idcirco tamen materiam corpus esse efficitur. Quod si Aristotel. aut Auerroes materiam corpus esse enunciare aliquando,quod tamen raro euenit,videantur,aut ad eas,quas diximus,dimensiones interminatas,& materiæ extensionem respexisse putandum est,aut ad id,quod materia nunquam formarum est expers, ac cum forma semper corpus constituit. Quæ autem incommoda ex primo de ortu,& interitu cum de accretione differit, afferuntur, uim haberent, si materia nuda,& corporis aliquando expers poneretur.Sed talis numquam est,etsi natura sua corporis genere non contineatur. Nec timendum propterea,ne formas creari,aut ex nihilo oriri fateamur,quemadmodum huius sententiæ assertores

obij-

obijciunt, corporis formam veluti semen materiæ ponentes, quæ specificas omnes formas contineat. Nam licet nil formę in materia præsit, non idcirco tamen formæ ex nihilo oriuntur. Potentia enim in materia absque vlla earum inchoatione præexistunt, e qua potentia ab agente causa in actum ducuntur. Quod his non conuenit, quæ creantur, quorum nul la est in materia potentia, siquidem e materia antecedente non fiunt. Præterea formæ proprie non oriuntur, aut fiũt. Compositum est id, quod oritur, & fit, vt multis in locis Arist. docuit. Forma autem, aut ex accidenti, aut secundario saltem dicitur oriri. Quare compositum ex materia cũ fiat, creatio non est. Nec satis est eam fieri, vt quo, & vt pars. Nam vt hoc modo gignitur, ita etiam materia posita gignitur. In cuius potentia nisi præesset, nullo modo gigneretur. Non item ob diuisionem forma hæc corporis in materia ponenda. Nam dimensionum interminatarum merito materia diuiditur, aliasque, & alias accipit formas. Qui autem has negant, ante omnis formæ in materia aduentum aptitudinem vt diuidatur, constituunt, eamque ad diuersas simul accipiendas formas sufficere arbitrantur. Sed illa aptitudine satis non est, aut etiam non inest, nisi per dimensiones. Quantitatis enim proprium quid diuisibilitas videtur. Illud etiam falsum, per corporis formam cæteras a materia expeti, quin sua ipsius natura, cum omnium ex se expers sit, eas expetit, illaque si inesset impediret potius, quo minus expeteret, vtpote iam quoquo modo informata. Per primam autem formam nil Auerroes intellexit, quam elementorum substantialem, aut omnino primam in vniuerso, quam ad primum philosophum tradidit spectare. Nihil ergo cum sit, qđ hanc corporis formam materiæ coæuam statuere in ea nos cogat, eamque incommoda multa, & absurda consequantur, ab ea ponenda abstinendum, materiaque prima aliquid esse, quod natura sua corporis expers sit, statuenda. Primum item corpus, quod in natura hac sublunari oriatur, ex materia, & elementi forma constare. Hanc enim primam compositio-

nem

nem esse in secundo de Animalium partibus,& alibi Aristot. & post eum Gal. & alij tradiderunt.

In materia prima, tametsi corpus eà non est, nec corporis formam habet, dimensiones tamen interminatas inesse. Cap. IX.

SEd illud, quod a nobis positum est, ante omnis formæ receptionem dimensiones interminatas in materia inesse, vt quoddam quasi mathematicum corpus videatur, dubiũ est, & valde controuersum. Quod, antequam ad cætera progrediamur, disquirẽdum est, quippe quod constitutũ nisi sit, superior de corporis forma quæstio explicata satis non erit. Aliqui igitur, & Illustres philosophi, de quorum numero inter recentiores Simon Portius est, dimensiones eiusmodi in materia negarunt, nulloq; modo in ea inesse posse ostenderunt. Primum quòd ordo naturæ subuerteretur, qui est, vt accidens omne substantia, formasque accidentarias substantialis forma antecedat. Cuius contrarium, dimensionibus illis in materia positis, siquidem accidentia sunt, vtpote ex quantitatis genere, statueretur. Deinde quod quanta prius, quam quid materia esset, & effectus causæ præiret, quæ ordini similiter naturali aduersantur. Quod item quantitas per se consistens, & separata esset, quandoquidem in materia, quæ sola potentia est, non actu. Quæ Aristot. in primo de ortu, & interitu dubitatio est, cum de ortu simpliciter disserit, ac quærit, quomodo ex eo, quod potentia est, existat. Est etiam materiæ potentia substantialis, quæ actum substantialem per se respicit, & ex accidenti accidentalem. Prius igitur substantialem accipi, quam accidentalem. Quantitatem item & omne omnino accidens subiectum actu requirere. Præterea fore vt per se ad compositum pertineret, vtpote eius formam antecedens. His & huius generis alijs rationibus sententia hæc firmatur. Sed earum quam-

quamquam aliqua est efficacitas, efficaciores tamē sunt, quibus contraria nititur, possuntque hæ non difficile dissolui. Quin & contra in dimensiones has statuēs accommodatior, est ad eas tollendas difficultates, quæ materiam, aut corpus esse, aut corporis formam habere constituunt. Cum enim formæ quamquam materiales ex se, & sui natura indiuiduæ sint, omnemque suam diuisionem ex materia accipiant, nisi illa per se extensa sit & quanta, indiuiduæ, cum in eam excipientur, manebunt. Diuidua item ipsa non erit, nec partibus constans. Quare nec elementorum, quæ in vniuersum numero quattuor sunt, formis substrata esse poterit. Diuidua autem (vt patet) esse non potest, nisi continua & extensa, dimēsionibusque prædita. At aptitudo, inquiunt, vt diuidi possit, ante formarū aduentum in materia præest, cuius aptitudinis merito eas admittit. Verum, quæso, vnde hæc ad diuisionem accipiendam in materia insit aptitudo? Num ex substantiæ ipsius ratione & vi? At substantiæ propria diuisibilitas non est. Omnis enim diuidi posset, quod a vero abest. A quo igitur, nisi ex dimensionibus, ac extensione? Num quicquid diuidi potest, id quantitatis, & materiæ quantæ merito non habet, cuius propria affectio est diuisibilitas? Cum ergo materiæ aptitudinem hanc cōcedunt, has, de quibus loquimur, dimensiones, veritate veluti coacti, in ea constituunt, verbaque tantum non rem ipsam immutant. Quin & formarum capacitas, quam post substantiæ notionem in materia nobis se offerre aiunt, non aliunde magis esse potest, quam ab extēsione. Extensa etenim nisi esset, capere illas non posset, quēadmodum & locus, cui materiam assimilat, quòd extensus sit, & quantus excipere corpora aptus est. Qui nisi extensus esset, nec ea in se acciperet, nec loci rationem obtineret. Sed alia subijciamus, quibus hæ dimensiones, ac per eas extensio in materia necessario statuuntur. Illud tamen primum commonefaciendum eas nec finitas, nec certis limitibus circumscriptas statui; nam a forma, quæ terminus est quidam finitudo omnis, ac terminatio existit. Atque hæc infinitudo est,

quæ

quæ in materia ex se inest, eique a Platone, & Aristotele tribuitur. Nam cũ infinitum aliud multitudine, aliud mole, aliud forma & specie intelligatur, id quod mole est, seu magnitudine ad materiam pertinet. Nec tamen propterea mole infinitum aliquid actu est. Namque materia infinita ex se tametsi est, finitur tamen semper, & termino aliquo concluditur, quippe quæ formarum, quæ illam finiunt, nũquã est expers. Quoniam autem mole infinita ex se, & in sui natura est, idque infinitum quantitatis proprium est, & dimensionibus interminatis constat, eas materiæ sua natura, & ante formarum accessum inesse ponamus necesse est. Nec si materia mundi terminis clauditur, finitaque ab Aristot. in primo de ortu, & alibi ponitur, ideoque vnius ortus alterius interitus ad ortum perpetuandum esse statuitur, idcirco eam, quam diximus, infinitatem sui natura non habet. Nam si mundo non clausam, nec forma vlla informatam animo concipiamus, illa ex se infinita, quodammodo manebit, vt quæ nullo fine finiatur. Quin & interualli, quod Aristot. materiæ tribuit, ratione dimensiones in ea inesse ostenditur. In quarto enim Physicor. de loco loquens materiam magnitudinem esse negat, eam videlicet, quæ terminata est, & forma comprehenditur. Dimensionem vero, & interuallum magnitudinis eius capax esse statuit, quod formam possit excipere, quæ terminationis est causa. Quatenus (inquit) locus magnitudinis interuallum, ac dimensio videtur, eatenus materia esse videbitur. Hoc enim a magnitudine diuersum est. Affertur etiam ratio ex agente causa, cuius proprium est, patiens, in quod agit, contingere, idque ab actionis principio ad finem, quod facere non potest, nisi materia dimensiones habuerit, atque easdem. Nec enim si diuersæ sint, eius, quod gignitur, & quæ antea inerant, eundem tactum esse posse. Tactum autem hunc intelligi, quo agentis & patientis extrema simul ponuntur, quamquam nullæ adhuc qualitates sunt sensiles, quibus medijs, vt actio & passio, ita & tactus proprie efficitur. Quin & nihil impedire, quo minus dimensiones istę

in

in materia insint, quandoquidem cuilibet transmutabili rei communes sunt, nilque habent, quod eis aduersetur. Nec verum est naturæ ordinem peruerti, dimensionibus hisce in materia ante formam substantialem constituitis. Naturæ enim ordo est, vt forma hæc terminatam quantitatem antecedat, vtpote terminum ei afferens. Interminatam autem sequitur, quod sine ea in materiam recipi extensa, & diuidua non possit. Quod si dimensiones istæ in materia perpetuo non essent, sed in ea, vt forma generarentur, aut ex eius potentia educerentur, eam necessario consequerentur. Nam terminatæ essent, vtpote in materia per formam illam iam determinata. Quoniam autem materia substantia est, ordo naturæ permanet, quo substantia accidens antecedit. Hic enim naturæ ordo est. Materia accidentibus omnibus præit, tum sequuntur dimensiones interminatæ, quibus illa extenditur, & diuisionis formarum capax redditur; deinde substantiales formæ, quæ dimensionibus illis terminum statuunt, & vna cum formis reliqua accidentia. Nec absurdum vllum est quãtitate interminata quantam prius, quam quid materiam esse. Separata autem illa quantitas omnino non erit; quippe quæ est in materia, licet in composito, & rebus singulis proxime non insit. Admittitur vero materiæ potentiam, qua actum substantiæ respicit, substantialem esse, & accidentalẽ ex accidenti respicere, nempe eum, qui formam consequitur. Ad dimensiones autem interminatas, cum materię coæuæ sint, potentia non est, nisi quæ dicitur logica. Quare actũ substantialem materiæ potentia proxime, & absque medio respicit. Quod eo magis intelligitur, quo ex ipsius materiæ potentia actus eiusmodi educitur. Subiectum autem actu terminata quantitas exigit, non interminata. Sed hæc etiam in materia, quæ actu materia est, inest, licet simpliciter actu non sit, nec propterea ad cõpositũ per se pertinet, nisi quatenus forma sine ea materiæ esse, & recipi non põt. Interminata igitur quãtitas, quædã materiæ affectio est, q̃ cũ illi coæua sit, ab ea nunq̃ abscedit, aliterq; & aliter a formis terminatur.

Materiam primam natura sua formarum omnium expertem esse, omniumque etiam capacem. Cap. X.

QVoniam autem materiam, nec corpus esse, nec corporis forma sibi coæua informatam, dimensiones quamquam interminatas habeat, demonstratum est, efficitur vt ne alia quidem vlla, quæ eius propria sit, & perpetuo in ea insit, informetur, quin potius formarum omnium suapte natura est expers. Corporis namq; forma si vlla esset, reliquas naturales omnes antecedit. Ea igitur cum nulla in materia esse possit, reliquæ tollantur ne cesse est. Ita de materia in Timæo Plato censuit, & docuit, ea ductus ratione, quod formas omnes accipere debeat, earumque varietate distingui. Quod fieri non posset, nisi informis esset, uique & natura sua formis omnibus priuaretur. Quod accommodatis admodum de vnguentorum, & figurarum materia similitudinibus confirmauit. Illud enim perspicuum est, eos, qui vnguenta suauiter redolentia efficiunt humidam materiam, e qua conficienda sunt, ita præparare, vt nullo odore proprio afficiatur. Nam si odore aliquo imbuta remaneret, alijs suauibus excipiendis esset impedimento, eosque omnino hebetaret, aut obscuraret. Qui item in materiam aliquam mollem, quæ impressioni cedat, figuras aliquas volunt imprimere, priores omnes abolent, nullamque earum in ea omnino apparere patiuntur, sed accurate admodum leuigant. Non aliter inquit Plato, & quod omnibus passim simulachris fingendum est, illud omnibus careat necesse est. Simulachra autem formas materiales nominat, quod ab ideis exprimi, & earum vi in materia reddi putarit. Nec aliter Aristot. discipulus sensit, nec alia potiore ductus ratione. Possunt autem quæ ex Platone retulimus his confirmari, quæ in tertio de Anima Aristot. prodidit, mentem nullis rebus, aut formis permistam esse, quod

earum omnium notionibus informetur. Quod esse nō posset, si notionem aliquam, aut speciem intellectilem propriā in se haberet. Quod enim (inquit) inest, alienum prohibet, & obijcit sese. Ideo Anaxagoras, cum omnia in omnibus esse posuisset ac, rerum omnium admistionis segregatricem mentem statuisset, eam solam a permistione liberam censuit. Nec enim aliter eam cætera posse superare, hoc est, vt Arist. ait, cognoscere, vel rectius, vt Plato in Cratilo omnia ornare, seu per omnia meare. Hinc elementa quattuor certis ac finitis carere figuris, quod rerum ortui, vt materia, subijciantur, in tertio de Cœlo monstratum est. Quod videlicet subiectum in omnibus informe esse oporteat. Maxime si quidem (ait Aristot.) hoc pacto id, quod omnia suscipit for mari potest, ac figuras accipere, materia præterea formarum locus, ac receptaculum dicitur. Plato χώραν nominauit, quod formis procreandis sedem exhibeat. Vt igitur locus a corporibus, quæ insunt, abiungitur, atque si corpore vno occupetur, accipere alia non potest, sic materia a formis omnibus natura sua libera est, quæ vnam propriam si haberet, alias excipere non posset. Cum igitur omnibus excipiendis sit comparata, ideoque πανδεχὲς .i. omnium receptaculum a Platone nominata, earum item locus & sedes, nulla propria informetur necesse est. Cum vero ratio hæc ex fine dicta sit, hanc ex vi & natura, seu essentia eius adijciamus, q̃d videlicet corpus rerum omnium generationi, si formā propriam illa haberet, vt materia prima subijceretur, quod in proximis capitibus falsum esse ostendimus. Essent item reliquæ formæ accidentia, quippe quæ enti actu aduenirent, quemadmodum Auerroes ratiocinatur. Quod si alia accedente forma illa interiret, materiæ coæua non esset: interiretque etiam materia, forma eius propria intereunte; quomodo interit ignis, si eius forma intereat. Ens præterea ex ente generaretur, quod fateri veriti veteres ortum sustulerunt. Quæ res aliter dilui non potest, nisi quod ex ente potentia generetur, quod si propriam formam materia obtineat

neat dici non poteſt. Quomodo item materia rebus omnibus communis eſt,ita & illa eſſet forma, quæ eius propria poneretur. Nulla autem eiuſmodi eſt. Nec priuationem veluti materiæ propriam formam, quæ ab ea numquam ſeiungatur, aliquis obijcitat, eo forte argumento vſus, quod habitum quendam & veluti formam Ariſtot. nominet. Nam priuatio quoquo quidem modo formæ, ſeu habitus rationem obtinet, & in materia, vt habitus quidam, ineſt perpetuo, ſed nec vere forma eſt, nec habitus. Alia item & alia priuatio ſubinde eſt, quemadmodum & forma. Quare materiæ forma aliqua tametſi eſſet priuatio, non eius tamen propria diceretur. Quod de informitate etiam dicendum, ſi a priuatione quis eam ſeiungat. Nam nec forma quædam informitas eſt, nec ad materiæ eſſentiam pertinet. Natura autem informis materia dicitur, quia nullam habet propriam, etſi formarum numquam expers. Nec vero formas poſſet accipere, ſi in eius eſſentia eſſet informitas. Atque vt informitas materiæ ratio non eſt, ita nec formis ſubijci, etſi alicui ſemper ſubijciatur. De qua re Alexander præclare in quæſtionibus naturalibus. Formarũ autem capacem eſſe ad eius rationem videtur attinere. Sed de materiæ vi, & eſſentia mox dicetur.

Materiam accidens non eſſe, ſed ſubſtantiam, & eam quidem potentia, quamquam actu eſſe aliquo modo dicitur.
Cap. XI.

CVM nec naturale, nec omnino corpus aliquod eſſe, nec corporis formam coæuam, nullamque item aliam propriam habere, ſed ſua natura informem eſſe materiam primam docuerimus, quid & cuiuſmodi tandem ſit, explicandum. Ac primum quidem, vtrum accidens aliquod ſit, quemadmodum Pythagorici ſtatuere eam viſi ſunt, cum numeros quoſdam eſſe voluerunt, an ſub-

ſtantia potius quædam, atque ſi ſubſtantia ſit, quæ, & cuiuſmodi ſubſtantia ponenda eſt. Quæ fortaſſis quæſtio parum probabilis, nec rationibus momentum habentibus nitens aliquibus poſſit videri, cum abſurdum omnino videatur materiam, quæ naturalium rerum ſubiectum eſt, aliud, quam ſubſtantiam ſtatui. Nam ſi ſit, & ſubſtantia non ſit, accidens eſſe neceſſe eſt, quod a ſubiecti ratione valde eſt alienum, quippe quod in ſubiecto ineſt, eiuſque eſſe aliud nullum eſt, quam vt in ſubiecto inſit. Aliud itaque ſubiectum materia requireret, quod cum eam antecederet, ſtatui illa prima nõ poſſet. Quin & materia res naturalium pars eſt, quam accidens eſſe animo concipere omnem ſuperat abſurditatem. Sed quamquam res ita habet, hanc tamen quæſtionem Ariſtot. qui temere nil diſſeruit, dignam, quæ diſputaretur, exiſtimauit. Ita in primæ philoſophiæ libro ſeptimo eam expendit, rationemque attulit, cur a ſubſtantiæ genere aliena videatur, quod videlicet hoc aliquid non ſit, quod per ſe conſiſtere & monſtrari, atque intelligentia per ſe apprehẽdi, quæ ſubſtantiæ maxime conueniunt, nequeat. Nec vero ſolum ſubſtantiam eſſe, ſed & quantitatem, & qualitatem, & omnino alio genere concluſam materiam viſus eſt negaſſe, cum dixit eam nec eſſe quid, nec quantum, nec quale, nec vllum aliud aliorum generum, vt eius ſententia nihil omnino eſſe materia videatur. Affertur vero & hæc ratio, quod materia ad aliud ſit, nempe ad formam, vt in ſecundo Phyſic. eſt traditum, quod item potentia eam eſſe in ſecundo de Anima ſcriptum ſit, quod quidem ita habere in progreſſu explicabitur. Quomodo item ens ex ente gigni non poteſt, niſi ſit, antequam gignatur, ita & ad ſubſtantiam potentia ſubſtantia eſſe non videtur, niſi ſubſtantiam eſſe, antequam ſit, ſtatuamus. His igitur & huius generis alijs rationibus non abre in dubium reuocatur, num materia prima ſubſtantia ſit, necne. Quod eo etiam confirmatur, quod iam oſtenſum eſt, eam corpus nullo modo eſſe, cum ſola corpora ſubſtantia eſſe videatur. Vnde & Ariſtoteles corpus ſenſile, ſeu mobile

bile,& ſubſtantiam ſenſilem,ſeu mobilem pro eadem re vſurpat. Quin & veteres nil præter corpora in rerum vniuerſitate eſſe exiſtimabant. Accidentia item omnia in corporibus inſunt. Idcirco alteratio, & omnino motus corporibus tantum congruit, qui motus inæqualitate, & alijs accidentibus exiſtit. Hæc cum materiam a ſubſtantiæ genere excludere videantur, quonam modo res habeat videndum. Rem autem alia nulla in huius rei cognitionem certius adducemur, quam eo, quod ſubſtantiæ maxime proprium eſt. Quod quidem præ cœteris ſeparationem eſſe, ſeu ſeparabilitatem ab Ariſtotele traditur. Hoc perpetuo ſubſtantiæ tribuitur, quemadmodum reliquis omnibus generibus ſeparari non poſſe,vt ſexcentis in locis apud eum patet. Separabilis autem ſubſtantia dicitur, quod a reliquis generibus ſeparari queat, non ita,quod omnino ſine illis cõſiſtat, ſemper enim accidentibus ſubijcitur, ſed quod ab hoc, & ab illo natura ſua poteſt abiungi, ac permanere, ita vt non pereat. Quod alijs generibus minime congruit. Ea enim etſi a ſubſtantia abiunguntur, non permanent tamen abiuncta, ſed eo ipſo, quo abiunguntur pereunt, & abolentur, quare inſeparabilia dicuntur. Hoc cum ita habeat, intelligimus materiam non ſubſtantiam ſolum eſſe, ſed ſolam eam ſubſtantiam dicendam, quippe quæ vna a formis omnibus abiungi poteſt, ac illis ſublatis permanere, quod illę non poſſunt,cum a materia diſiunguntur. Atque hoc eſt, quod in ſeptimo illo primæ philoſophiæ concluſum eſt, ſed vtrum magis, an minus ſubſtantia, quam reliqua materia ſit, minime nunc inquirimus. Illud tantum ſatis ſit, intelligere ſubſtantiam eſſe,quod Ariſtoteli placitum fuiſſe in libro De Dogmatibus oſtendimus. Patet autem hoc ex ſubiecti ratione mox allata, & ex eo, quod naturalia corpora, ex ea fiant, quæ cum ſubſtantia vere ſint, de quibus nemo ambigit ex eo, quod ſubſtantia non ſit, vt ex principio immanente eſſe non poſſunt. Alioqui quod ſubſtantia non eſt, ſubſtantiam anteiret. Nec ſi hoc aliquid non ſit, quod per ſe conſiſtat, aut

monſtretur, non etiam per ſe intelligatur, idcirco ſubſtantia non eſt. Eſt enim ſubſtantiæ id genus, quod hoc aliquid non eſt. Quamquam Plato negat hoc aliquid non eſſe, imo vero hoc aliquid dici eam ſtaruit, & verius, quam formam. Sed Platonem hac in re non probamus, veriuſque Ariſtotelem ſenſiſſe arbitramur, hoc aliquid eam non eſſe ſtatuentem, aut certe minus, quam concretum, & formam. Nam cum exiſtere abſque forma non poſſit, ac quicquid eſt, per formam ſit, proculdubio hoc aliquid non ita erit, vt illa. Quod magis etiam in progreſſu patebit. Eſt autem materia ſubſtantia potentia, quare non hoc aliquid, niſi vna cum forma. Subſtantiam enim in potentiam, actum, & concretum ex vtroque Ariſtoteles diuiſit, & illam quidem materiam dixit, quæ per ſe hoc aliquid non ſit, hunc formam, per quam hoc aliquid dicitur. Potentia autem materiæ non ita eſt accipienda, vt eam non eſſe, poſſe tamen eſſe intelligamus, quomodo homines gignendos potentia eſſe, non actu dicimus. Hoc etenim modo materia non eſſet, & cauſam agentem, a qua in actum educeretur, requireret. Materiam item aliam, in qua potentia ineſſet. Materia autem re vera eſt, & aliam ante ſe non habet. Alio itaque modo potentia dicitur. Quem modum difficiles explicatus quamquam habet, aliterq; & aliter a philoſophis intelligatur, ſi qua tamen fieri poterit ratione, explicare conabimur.

Quemadmodum materia potentia sit, eademque actu, ac rationum substantiam eam non esse docentium solutio.
Cap. XII.

Materiam igitur potestate substantiam dicimus, quod ipsa per se, & natura sua, eorum, quæ oculis spectamus, alijsque sensibus apprehendimus actu nil sit, sed effici tamen omnia possit, & Prothei veluti cuiusdam more in omnia mutari, rerumque omnium (vt ait Plato) similitudinem, atque effigiem exprimere. Ita nec ignis per se materia est, aut aer, aut aliud elementum, non item lapis, aut metallum, non omnino alia vlla substantia, nec aliorum generum vllum, sed fieri hæc omnia potest, eorum formis informata. Quomodo aqua liquabilium materia potentia dicitur, quia per se, & vi sua eorum nullum actu est, sed in omnia verti potest, eorumque formam accipere. Materia ergo hæc potentia non est, quia re vera non sit, & esse possit, re vera enim est, nec nisi esset, materiæ nomine numcuparetur; sed quoniam cum sit, nihil eorum actu est, quorum materia ponitur, sed potestate omnia. Quam materiæ potestatem eiusmodi esse in tertio de Anima indicatum est, cum materiam in quoque genere id esse, scriptum est, quod potestate est cuncta, quæ in eo sunt genere. Ideo in eius operis secundo non potestate solum, sed potestas ipsa materia dicitur, quasi res sit quædam, seu substantia, cuius natura potestate contineatur. Aliud namque est potestatem esse, aliud potestate. Nam quod potestate est, esse non videtur, quemadmodum ipsa potestas, quæ nisi sit, potestas non erit; Et potestate igitur, & quodammodo actu materia ponenda est. Potestate quidem omnia, quorum est materia, actu vero potestas, seu materia, quæ illa omnia est potestate. Quæ natura in rerum vniuersitate nisi re vera sit, sed esse tantum possit, tum ex nihilo ortus erit, tum id quod non est,

ſed eſſe poteſt tantum, eius quod eſt pars ſtatuetur. Atque hoc forte eſt,quod Henricus, & Io. Scotus actu (vt loquuntur) entitatiuo materiam eſſe tradiderunt. Nam quamuis actus vocabulum formæ proprium eſt, quemadmodum materiæ potentia, idque formæ ab Ariſtotele perpetuo tributum, ideoque hoc nomine non recte vſi videantur, quod tamen entis gradum quendam ſignificare voluerunt, a vero nō aberrarunt. Sed his, quæ tradidimus aduerſari id videtur, quod ex primæ philoſophiæ ſeptimo allatum eſt, materiam non eſſe quid, nec quantum, nec quare. Etenim his verbis, aut omnino, aut certe eam, quæ actu eſt, ſubſtantiam materiam eſſe Ariſtot. negat. Præterea materiæ, ſi natura quædam, aut ſubſtantia actu ſit, forma aliqua propria erit, ſiquidem actu nil eſt, niſi per formam. Hæ difficultates arduæ admodum ſunt, & ingentes, vt eas omnino ſuperare vix vmquam aliquis potuerit. Alij materiam quid non eſſe aiunt, hoc eſt quidditatem, ſeu habens quidditatem. Alij per quid ſubſtantiam, quæ ex generibus primis vnum eſt, interpretantur. Alij ſubſtantiam actu, quoniam poteſtate ſubſtantia ſit. Negant præterea alij quicquid actu eſt, id omne per formā actu eſſe, & concretum. Nam actum aliquem eſſe, qui entis proprius eſt, nec a forma proficiſcitur, quem entitatiuū (vt diximus) nominant. Alij ſolam formam actum eſſe, & per eam res alias actu conſtare, materiam autem ſola eſſe poteſtate. Quarum reſponſionum, aut interpretationum nulla a difficultatum nodis ſatis nos explicat. Planum enim eſt per quid ſubſtantiam ab Ariſtotele intelligi, & eam quidem, quæ genus eſt, vt initio libri illius idem interpretatur. Cum inquit, id quod eſt, tot modis dicatur (genera prima entis commemorat) horum primum ipſum quid eſt eſſe patet, quod ſubſtantiam ipſam ſignificat. Illud præterea notum, in quoque genere actum & poteſtatem ab Ariſtot. poſita. Quæ cum ita habeant, nec quidditatem, nec ſubſtantiam, quæ genus non ſit, nec eam tantum, quæ actu eſt, per quid intelligere videtur, ſiquidem quid omnino eſſe negat, aliaq;

etiam

etiam genera. Hoc item in Aristot. doctrina commune, & tritum actu nil esse nisi per formã. Quamquam hoc solutum iam est, cum materiam actu materiam esse diximus, eumque actum a forma non esse, & impropric dici, sed tamen dici, quia re ipsa iã est, & extra causas suas, quod Græcè τῇ ἐνεργείᾳ, καὶ τῷ ἔργῳ verius dicitur, quam τῇ ἐντελεχείᾳ quoniam hic actus perfectio quædam est, quæ a forma exoritur. Sed vt earum, quibus implicamur, difficultatum nodos exoluamus dicendum censemus, materiam quid nõ esse, hoc est substãtiam, quæ proprie substantia, & quid dicitur, quod genus est substantiæ corporeæ, vt eodem in loco est traditum. Substantia inquit, manifestissime corporibus videtur competere, & cætera, quæ sequuntur. At si hoc non probetur, dicamus quid non esse, hoc est, hoc aliquid, quod indiuiduum dicitur, actu demonstratum, quod prima, & maxime substantia nominari solitum est. Quæ interpretatio eo nititur, quod quid, & hoc aliquid ad idem, hoc est substantiam significandam eius libri initio coniunxerit. Illud vero fortasse dixerit aliquis materiam quid non esse, id est, id ipsum quod materia est, id non esse, quod substantia, aut quantitas, aut qualitas, &cęt. horumque & materiæ diuersas esse rationes. Materiam enim subiectum vltimum esse, de quo alia dicuntur. Ita eius rationem ab aliorum rationibus diuersam esse oportere, quemadmodum substantiæ ratio ab accidentium rationibus, quod de illa dicantur, diuersa est. Posse igitur materiam substantiam esse, etsi rationem a substantiæ ratione diuersam obtineat. Sed hoc aduersari videtur, quod eo in loco demonstrare Aristot. instituit, materiam solam substantiam videri, quod alijs subijciatur, eorumque nullum sit, & illis sublatis possit permanere. Quæ demonstratio cum ea sumat, quæ primæ tantum materiæ congruunt, de ea se disserere nos monuit. Dico, inquit, materiam, quæ secundum se, nec quid est, nec quanta &c. Quæ verba si ita (vt dictum est) exponantur materiæ, videlicet rationem a substantiæ ratione diuersam esse, conclusioni præcipue aduersabuntur, nempe

nempe solam materiam substantiæ rationis esse participem? Alijs item materiebus conueniet, quarum omnium ratio ab ea, quæ substantiæ est, diuersa est. Illud item minus probabile, quod a Simone Portio allatum est, materiæ ad omnem actum indeterminationem indicatam, qua quidem indeterminatione nulli actui addicta est, sed potentia omnis. Nec enim de indeterminatione vllus erat sermo, nec vlla inter actus comparatio fiebat. Nisi nulli actui addictam intellexerit, quia hoc aliquid, & vere substantia non esset. Quod ergo antea allatum est, potius dicendum materiam quid non esse, id est substantiam, quæ ipsa per se sit, quæ proprie, & vere substantia vocatur. Sed cum secundum se eius generis substantia non sit, potestate tamen illa est, eaque fieri apta est. Ideo substantia quædam imperfecta est, & veluti inchoata, quæ substantia simpliciter dici non debet, sed substantia potestate, eo tamen, quo dictum est, modo. Quare nec substantia simpliciter, & omnino est, vt aliqui opinantur, nec omnino potestate, vt alij, sed actu substantia inchoata, & rudis, actu item materia, potestate autem substantia simpliciter, quæ vere & proprie substantia est. Ideo in primo Physicorũ cum materiæ, & priuationis diuersitas traditur, materiã prope, & quodammodo substanriam esse ait, non simpliciter & omnino substantiam. Priuationem autem nullo modo substantiam esse. Ita Auerroes in septimo primæ philosophiæ substantiam diminutam, quia potestate sit, eam vocat. Perspicuum ergo est, quemadmodum materia substãtia sit, eãq; tamen quid esse Aristoteles neget, quod eo interprete substantiam significat. Illud item formam nullam quamquam materia propriam habet, imperfectam tamen quandam substantiam, & potentiam actu, hoc est re ipsa esse, quæ potestate substantia simpliciter, & perfecta sit, atque omnia efficiatur. Vnum enim eum, qui perfectus est, actũ forma impartitur, non rudem, aut inchoatum, cuiusmodi est materiæ, qui potentiæ solius proprius est, & inter actum perfectum, & nõ esse omnino, seu simpliciter medius. Cuiusmodi materiam

esse plerisque in locis Auerroes tradidit, ob eamque causam ex esse, & non esse veluti compositam. Ita his satisfactum, quæ ex primæ philosophiæ septimo allata sunt, materiam substantiam non esse ostendentia. Cœtera etiam facile diluuntur. Nam quod ad aliud sit, veluti ad actum, & formã quo minus substantia sit, non impedit, siquidem eius duplex est esse, seu etiam notio. Vna, qua ens quoddam est, in alio non inhærens, quo quidem modo substantia est: altera, qua potentia est quædam ad formas, & ita ad aliud est, actumq; respicit. De qua duplici materiæ notione Themistius præclare in primo Physic. Illud autem falsum, quod a Portio dictum est, materiam primum alicuius quidem esse, non tamen ad aliquid, deinde ad aliquid dici, quod ad formam, vt ad suam perfectionem sit determinata. Nam Aristot. ait ad aliquid eam esse. Eo autem modo ad aliquid si esset, forma etiam, quæ ad materiam dicitur, ad eam vt ad perfectionem diceretur, quod falsum esse perspectum est. Ad substantiam autem materia, quamquam substantia est, potentia dicitur, quoniam cum imperfecta sit, ad perfectam potentia est. Ita & ens ex ente gigni potest, nec erit tamen antequam fiat, quoniam ens actu ex eo, quod potentia est, gignitur. Hæc de materiæ genere, & vi, seu essentia videntur dicenda, quæ si ab aliquo minus probentur, ac meliora, & doctiora in medium proferat, magnas ei gratias habebimus. Illud vero quæstioni huic adijciendum, materiam, quod sic, vt docuimus, potestate sit, aut potestas, mistioni in primæ philosophiæ duodecimo recte comparatam. Parum enim, vt Auerr. monet, abest, quin res mistę sint potestate. Quemadmodum simplicia corpora, quæ in mistione potestate potius sunt, quam actu. Huius etiam potestatis, qua omnia fieri potest materia, merito efficitur, vt rerum ortus continuatus sit, nec desinat, qui finem proculdubio acciperet, nisi in materiæ veluti sinu formæ omnes potentia inessent. Sed quid ortus perennitatem dicimus? quando ne omnino quidem esse possit, quippe qui ex eo tantum sit, quod est potestate. Cu-
ius

ius naturam cum ignorassent veteres, solumque id esse existimatent, quod actu est completo & perfecto, rerum ortum sustulerunt, veriti ne aut e non ente simpliciter fieri eum concederent, aut rem esse, antequam fieret, faterentur. Quã eorum dubitationem Aristot. diluir, materia inuecta, quæ nec nihil, nec omnino actu simpliciter sit, sed rei generandæ quædam potestas inter esse, & non esse (vt diximus) media.

Materiam primam ratione, & essentia sua potentiam esse.
Cap. XIII.

Qvæstio autem est de hac materiæ, quæ hactenus explicata est, potentia, vtrum ei, vt accessorium quoddam adueniat, an ad eam potius ita pertineat, vt in eius ratione, & essẽtia includatur. Themistius tradit materiã aliquid primum, & actu esse, tũ aliquorum materiam, ad quæ potentiam obtinet. Ac materiæ quidem nomen, quod potentia dicatur secum trahere, & ad quæ materia dicitur, ad eadem potentia esse, nec tamen eius essentiam in eo solum esse positam, vt ad alia dicatur. Ita potentiam ad materiæ essentiam minime pertinere Themistius cẽset. Quod eo etiam declarat, quod rebus omnibus quædã ipsis per se consideratis conueniant, alia vt cum alijs conferuntur. Quemadmodum ligno bicubitum esse per se conuenit, duplum autem, vt ad aliud refertur. Ita igitur & materiæ vt aliquid sit, & omnino existat, per se competere, potestate autem esse, vt ad aliud comparatur. Alexander videtur contrarium sensisse. Nam in secundo Naturalium quæstionum docet materiam sua natura, atque essentia nec ἄποιον, nec ποιαν, nec qualitatibus, seu formis carentem, nec eis informatam esse, sed aptam & potentia præditam vt informetur. Potentiam igitur ad formas in materiæ essentia Alexander ponit, etsi earum receptionem, aut carentiam ab ea ipsa essentia remoueat. Nam si alterutrum in ea clauderetur, reliquum

liquum eidem non posset congruere. Quare Themistium cum Alexandro plane consensisse, aut eius mentem recte omnino explanasse Zimara non vere existimauit. Sed Themistij sententiam omnino recte est interpretatus, quamquam in interpretis qui Themistium conuertit, culpa sit Auerroes secum videtur pugnare, nec eadem semper sentire, nam in primo Phy. in materiæ substantia potentiam esse negat sic, quod eius definitionis pars sit, quando quidem si esset, cum per formæ accessum potentia illa intereat, ipsa quoque materia interiret. In his item, quæ sunt ad aliquid, materia quomodo & potentia poneretur. Libro autem de substantia orbis ait materiæ naturam necessario esse naturam potentiæ, eiusque substantialem differentiam potentiam, ac eam tandem per posse (ita enim eius loquitur interpres) substantiari. Ex qua locorum dissensione factum est, vt diuersa de eo senserint interpretes, alijque aliam sententiam secuti sint. Nam Gandauensis ab essentia materiæ potentiā seiunxit, Achillinus contra, & ita de cæteris. Sed qui materiam potentiam dixere, ita vt eius ratio sit, atque essentia, sensisse rectius videntur. Quod multis modis ostenditur. Primum quia non aliter materia potētia est, quam forma actus, seu perfectio. Substantiam enim Aristot. in actum, potentiam, & concretum, seu in materiam, formam, & concretum (vt sæpe diximus) partitus est, & illam quidem potentiam, formam actum, dixit. Nec vero quædam natura, aut res forma est ab actu, seu perfectione diuersa, cuius essentia, & ratio alia sit quam actus. Nec aliter, quam per actum definitur, seu verius circumscribitur: nam simplicia definiri vix possunt. Eodem modo materia potentia est, nec alia materiæ ratio videtur, quam vt sit potentia. Dico autem materiā, quatenus materia est. Deinde ex vi nominis. Nam materiæ vocabulo aliud nil proprie significatur, quam id e quo fieri aliquid possit, aut omnino iam factum est. Quæ materiæ significatio omnis in vniuersum materiæ communis est, non primæ solius propria. Etenim lignum, aut argentum materiæ

riæ dicitur, quoniam scamna, cathedræ, statuæ, & eius generis alia ex eis possint fieri, aut iam sint facta. Siluam etiã materiam, seu ὕλην dixerunt, quod illhic multa sit ad comburendum fabricandumque apta materia. Est etiam ὕλη Syrũ vocabulum, quod in Græciam cum plerisque alijs vocibus Cadmus importauit, priscisque Syris aquam significabat, quæ multorum sapientium sententia rerum naturæ fuit materia. Ex quo pro materia Græci vsurparunt. Quod si earũ materierum, quæ vim & naturam omnium consensu a potẽtia habent diuersam, cuiusmodi lignum, & aurum, qua ex parte materiæ sunt, vis, & essentia in potentia posita est, quid de prima tandem dicendum, quæ cum natura sua informis sit, formarum omnium capax non aliter, quam per potentiã potest definiri? Hoc vero, & Themistius veritate veluti coactus de ea confessus est, hoc ipso quod materiam dicimus potentiam statim significari. Nomẽ (inquit) materiæ id, quod potentia esse dicitur, omnino secum trahit, & ad quæ materia dicitur, ad hæc est potestate. Quare mirandum, quod eodem loco subijcit, eius essentiam non idcirco tamen esse, vt ad alia solum dicatur, primamque eius notionem haberi, absque eo, quod materia & ad aliquid esse intelligatur. Nã etsi ea, vt substantia forte, & ens absque aptitudine ad formas, & omnino potentia possit considerari, non tamen quatenus materia. Hoc enim modo substantia quidem esse intelligitur, sed potestate, non autem absolute substantia. Ac quemadmodum forma intelligi non potest primũ, vt quædam natura per se, tum vt actus atque perfectio, sed statim, vt forma est, actus esse intelligitur, hæcque eius est essentia, ita de materia dicendum. Iam si materia quatenus materia prima sui notione quædam præter potentiam natura sit, atque substantia, aut actus necessario erit, aut concretum, siquidem tribus illis substantia diuisa est. Actus autem non est, licet actu materia sit, & ens, quod a forma diuersum est; Actum enim formam dixit, per quam est hoc aliquid. Minime omnium concretum est. Rursus comprehendi animo per

ſenil poteſt,niſi per formam. Notione igitur primâ abſque potentia ſi intelligitur forma erit, quod nemo ne ſomniauerit,quidem. Sed de materiæ cognitione,quæ præter formam non ſit, poſt dicetur. Quæ tamen præter formam haberetur,ſi ipſa per ſe formæ omnis expers ſimplici, ac prima notione vt ſubſtantia quædam animo conciperetur, abſque ea,quam ad formam habet, potentia. Quod autem Themiſtius ſententiam ſuam magis confirmans adijcit, duo eſſe vocabula,quibus materia numcupatur, materiam,ſcilicet & ſubiectum,& hoc quidem prima notione,vt per ſe eſt, ei magis congruere, reliquum,videlicet,materia,vt ad formam refertur, rationem non habet. Non item illud eam ſubiectum eſſe,cum formis actu ſubijcitur, materiam antequam illas accipiat,cum potentiam habet,& ad eas refertur. Nam & formam cui ſubijcitur, ſubiectum reſpicit, & vna ſimul cum ea concipitur, ad eamque refertur. Subiectum etenim alicui ſubiectum,non aliter,ac materia alicuius eſt materia, & cum poteſtate intelligitur. Nec ea etſi formæ ſubſtrata eſt, eius materia eſſe deſinit, quamquam magis proprie materia diceretur, antequam eam acciperet,cum ad illam eſſet potentia. Nec vero ex forma ſolum, & ſubiecto res fieri dicimus, ſed ex forma etiam & materia, hocque longe frequentius. Quomodo item materia notione prima,vt ſubiectum intelligetur, cum formarum potius expers, & earumdem capax primum omnium apprehendatur? Materiæ itaque vim & naturam non omnino aſſecutus Themiſtius videtur,nec eius illa digreſſio, aut explicatio,quamquam in multis præclara, & ſubtilis prorſus (vt aiunt) aurea eſt, ſed ænea potius, aut ferrea auro intecta. Vt de eo dici poſſit, quod de Pythagoricis harmoniam in cœlorum motu ponentibus Ariſt. protulit, κομψῶς μὲν εἴρηται καὶ περιττῶς, οὐ μὴν ἀληθῶς. i. Concinne quidem & eleganter dictum, ſed non vere. Nec vero materiam, vt ſimpliciter ſubſtantia eſt, primus philoſophus conſiderat,vt ille,& alij putarunt. Quin eius generis ſubſtãtiam eſſe tradit,& contemplatur,quæ eſt potentia. Quæ conſideratio

ratio ab eo aliena, tantum abest ut sit, vt eius maxime sit propria, ad quem actum & potentiam entis, & substantiæ differentias, seu modos pertinet explicare, & quæ actus sunt, seu actu, aut potentia ostendere. Nec in materia consideranda primus philosophus a naturali hoc nomine dissidet, quod ille substantiam simpliciter esse, hic potestate doceat; verum quod naturalis in quocunque ortu eius monstrat necessitatem, & vt ad ortum accommodatur, & ex ea formæ educuntur, eam contemplatur; Primus autem philosophus eius, quatenus est, essentiam & genus perscrutatur, eamque substantiam esse docet, non quidem simpliciter, aut etiam præcipuam, cuiusmodi forma est, quæ actus est, sed postremam nimirum potentiam. Ideo Auerroes in septimo primæ philosophiæ, vt mutationis principium est, materiam in physicis ait considerari, in scientia autem Diuina, vt substantia potestate. In octauo eiusdem tradit, materiam subiectum esse, in naturali scientia declarari, quod quidem primo Physico. præstitum est, substantiam autem esse in Diuina: harum igitur scientiarum diuersa materiæ consideratio non efficit, vt ipsa per se, quatenus materia est, absque potentia animo concipiatur. Nec id exemplum cogit, quod ad hanc potentiam a materiæ prima notione sciungendam a Themistio allatum est. Nam ad artem id pertinet, cuius subiectum, & materia omnis actu aliquid est secūdum se, corpus videlicet aliquod naturale, quod ipsum per se potest intelligi, absque ea, quam ad formas habet, potentia. Quod de prima naturalium rerū materia dici non potest, quippe quæ potentia est, nec corpus, nec formam habens, quamquam actu ens, & materia, hoc ipso, quod actu ita est, eo ipso etiam est potestate, cum materiæ ratio hæc sit, & vis. Vnde & artis materia quamquam actu corpus est, quatenus tamen materia absque potentia ad eam, cuius materia est, formam nullo modo intelligetur. Potest vero quod hactenus docuimus eo etiā comprobari, quod materia ad potentiam non aliter se habeat, quam primum agens ad actum. Nam in rerum vniuersitate

tate

tate extrema duo sunt, quorum vnum actus cum sit, potentia reliquum, ad hæc vtrumque eodem modo affectum esse rationi est consentaneum. Primum autem agentem essentia sua actum esse primæ philosophiæ duodecimo Aristot. docuit, idque omnibus certum adeo, vt omnino ambigat nullus. Et igitur materia essentia sua, ac ratione potentia dicetur. Nec similitudinem tollit, aut ratione hanc infirmat, quod agens primus perfectissimus sit, materia prima im perfectissima, possitque ideo hæc ab aliquo perfici, illud nō possit. Nam quod imperfectissima est, ex potentia proficiscitur, quæ eius est essentia. Quæ nisi eiusmodi esset perfectionem aliquam haberet, ad quam potentia accederet, itaque non imperfectissima. Quin etiam accessorium aliquod & non essentia potētia si sit, vt ad materiam accedens in ea inesse possit, potentia prior requiretur, alioqui in materia esse non poterit, quod incommodum tollitur, si eius essentia ponatur. Eademque de potentia illa priore quæstio existet. Rursus accidens si sit, actus cuiusdam rationem habebit, ac subiectum etiam, quod actu sit, requiret. Quamquam fortasse hæ rationes tollentur, si materiam identice (vt loquuntur) potentiam esse quis poneret. Cum autem potentiam, materiæ essentiam dicimus, essendi eius (sic perspicuitatis gratia loqui liceat) modum intelligimus, non vllam differentiam essentialem, quæ rerum cōpositarū duntaxat est. Ita per potentiam, vt per modum, quo est, materiam definimus, seu verius describimus, quomodo res compositæ per differētias essentiales e quibus constāt. Materia simplex est, nullius particeps compositionis, nec vlla differentia constituta. Quare cum substantiam potētia esse eam dicimus, quid sit, & quomodo vna exprimimus, ob eamq; causam ad eius esse potentiam spectare statuimus, siquidem non aliter, quam eo modo & esse, & intelligi a nobis potest. Ac quemadmodum in motus essentia successio est, quamuis eius tantum essendi est modus, quia in rebus est, quæ in successione sunt positæ, ita & potentia in materiam se habet.

E *Dubi-*

Dubitationum, seu rationum potentiam in materiæ essentia, non esse ostendentium solutio. Cap. XIIII.

SEd dubitationes sunt, & eæ primum, quæ ex Auerroe antea allatæ sunt, quarũ prior eo tollitur, quod cum materiam essentia sua potentiam dicimus, non eam intelligimus, qua hanc, aut illam formam potest accipere, neque enim de ea Aristot. loquitur; Sed potentiam in se, & absolute dicimus, quatenus ad formæ in genere receptionem, seu perfectionem est comparata. Et hæc quidem materiæ natura est, quæ ab ea numquam abiungitur, nec formæ accessu interit, quemadmodum hæc, aut illa potentia, qua eam accipere poterat. Quamquam, & hãc forma accedente interire fortasse absurdum est, tum quod nisi remaneat, forma in ea esse non possit, tum quod potentia, & actus inter sese referuntur, quod entium genus simul sit necesse est, quod tandem ex actu, & potestate res constẽt, quæ potestas si intereat, ex actu tantum constabunt. Materia igitur ad formam mutari posse desinit, sed potentia, qua subijci illi potest, remanet. Verum fortassis potentia hæc logica est, quæ simul cum actu remanet, non autem naturalis, quæ actum antecedit, qua dicitur materiam cum eorũ, quæ sunt, actu nil sit, fieri omnia posse, & omnium formas accipere. Non item vicissim potentia, & actus ita referuntur, vt semper simul sint. Nam forma nondum genita potentia ad eam erat multo tempore antea. Non etiam ex potentia, quę relatio est, res constat, sed ex eo, quod illa est prædituṁ. Potentia igitur hæc, quæ ad hanc est formam, quamquam intereat, ex eo tamen non fit, vt materia quoque intereat, quippe quæ essentia, & ratione ab ea diuersa est, quamquam subiecto idem sint. Nisi eñ subiecto sint idem, potentiaq; identicæ (vt aiunt) materia statuatur, sed in eam, vt reliqua accidentia, recipiatur, eius actus erit, potentiamque aliam in ma-

teria

teria requiret, per quam eius fiat receptrix. Sed hæc identitas non impedit quo minus materia permanente potentia illa aboleatur. Nec enim materiæ ipsius aliquid est, quod aboleatur, ita vt antiqua res esse desinat, sed materia, cum ad hanc formam mutari posset, eamque accipere, posse mutari desinit, postquam ad eam mutata est. Quæ nisi desineret, eadem numero forma naturaliter posset redire, atque ita naturalis resurrectio poneretur. Hoc igitur potentiæ genus interire conceditur, nullumq; ex eo accidit incommodum. Sed potentia, qua formam in se, & absolute materia respicit, & per quam circumscribitur, esse non desinit, nec interit. Nam perpetuo materia substantia potentia est, quamquam omnibus suis partibus formis semper substrata. Quæ cum sit eiusmodi omne formarum genus potest accipere, & ad eas mũtari, sed aliter & aliter. Nam ad simplicium corporũ formas proxime, & absque medio mutatur, ad mixtorũ remote, & simplicium formis intercedentibus. Aliter etiam ad ignis, aliter ad aeris, aliter ad aliorum formas. Contrariorum namque vnum vt habitum, alterum vt priuationem materiam respicere Aristot. docuit. Quemadmodum corpus aliter ad sanitatem, aliter ad ægritudinem affectum est. Vnam itaque in vniuersum materiæ potentiam esse in eius ratione inclusam dici potest, quæ pro formarum diuersitate ratione diuersa prædita est. Vnde potentiæ diuersæ exoriuntur, quæ pro formarum earum accessu esse (vt dictũ est) desinunt. Altera Auerrois ratio de ea potentia concluditur, quæ ad hanc, aut illam est formam, quatenus hac, aut illa materia priuatur. Hæc enim ad aliquid est, nec ad materiæ essentiam attinet. Altera autem potentia, quæ ad formam in se, & absolute est, ad substantiam spectat, & eius genere comprehenditur. Nec absurdum est materiam, cũ simplex sit, & ad formam comparata, atq; etiam vt rei pars fiat, aío concepta hãc habere habitudinem in sui essentia concludere. Quod de compositis substantijs dici non potest, quippe quæ per se sunt, nec ad alium pertinent, nisi ex accidenti,

vt ad patrem Sophroniscum Socrates filius. Ex his autem, quæ dicta sunt, ea ratio diluitur, qua, qui diuersum sentiũt, maxime nituntur, materiam vnam esse, potentias multas, essentia igitur idem non esse. Quin & potentias inter se essentia idem futuras, quòd quæ vni, & eidem essentia sunt idem, inter se etiam necessario sint idem. Potentias vero diuersas esse, etsi subiectum idem. Quod tertio Physicor. Aristot. tradidit posse sanari, & posse ægrotare idem non esse, tametsi idem sit, quod possit. Soluitur igitur ratio hæc, quod potentia, quæ in materiæ ratione inclusa est, vna sit, nec plures. Nec propterea fieri, vt potentiæ inter se idem sint. Nam quæ ad diuersas formas separatim sunt, vt inter se diuersę sunt, ita & a materiæ essentia diuersę. Atque hoc pręstat dicere, quam vt Achillinus ex Auerroe potentias ex materię natura multas non esse nisi extensionis, & diuisibilitatis ratione, formarum tamen ratione multas esse. Nam potentię in materia ex formis, ad quas sunt, considerantur. Multę igitur eius sententia omnino erunt, ac uim suam ratio obtinebit. Nec potior est de propinqua & remota potentia responsio. Nam quæcumque sit multiplex est, tametsi duplex, aut quadruplex tñ, hmõi propinqua est pro simplicium corporum numero, quorum formas materia proxime respicit. Est autem de hisce ad diuersas formas potẽtijs duplex dubitatio. Nam cum in materiæ essentia non insint, accidant ei necesse est. Quæritur igitur num accidentia sint re ipsa, an rationis tantum. Nam rationis solum statuere absurdum videtur, quo entia eiusmodi a nostra tantum intelligentia dependeant. Re ipsa autem seu (vt loquuntur) realia quomodo esse possint, si formæ quarum sunt, nondum sint? Cum huius generis relatio esse nõ possit, nisi & re ipsa id sit, ad quod est relatio. De harum etiam potentiarum numero dubitatio est, quoniam formæ, quæ fiunt, infinitæ sunt, mundi potissimum æternitate posita. Infinitæ igitur potentiæ præfuisse ab æterno videbuntur, quod de accidentibus realibus particulatim absurdum est. Vt infinitatem interim prætereamus,

mus,

mus, quæ esse non posse monstrata est. Quod etiam perpetuum est, & nunquam ortum aliquando interibit, siquidem semper in materia fuerunt, & tamen formis accedentibus intereunt. Hoc autem esse non posse in fine primi de Cœlo ostensum est. Ad hæc dicendum, potentias illas re ipsa in materia inesse, nec ab intellectu nostro tãtum pendere, eiusque generis habitudines, aut relationes esse, quę id, ad quod sunt, secum non patiantur, tantum abest, vt id necessario requirant. Formarum enim (vt dictum est) accessu aboletur. Alij in actiua agentis potentia esse, hocque sufficere formam aiunt. Alij ens rationis potentiam fatentur. Sed hoc a vero nimis abest, quod præter omnem intellectus actionem in materia insit potentia. Illud non satis, si terminus realis requireretur. Satis autem est, formam illam, etsi nunc nõ est, aliquando futuram. Infinitudo vero potentiarum in materia proprie non est. Nam ad simplicium corporum formas proxime illius potentiæ sunt totidem numero, aut specie, quot illæ. Ad mixtorum autem remotæ, quæ vix potentiæ dicuntur. Nec materia remota, id cuius est materia, potentia proprie est, quippe quæ multis agentibus, ac mutationibus opus habet, vt in actum ducatur. Quomodo materia prima, animalis formæ potentiam remotam dicitur habere, ut ad quam non ducatur, nisi multorum agẽtium opera. Quod si infinitudinem in eis ponamus, seu proximis diuersarum partium ratione, seu etiam remotis absurdum forte erit, ea admittere, quamquam ex accidenti inter se sunt ordinatæ. Quomodo enim infinita indiuidua simul esse possit concedi, cum præsertim infinitum actu esse non posse ostensum sit. Nisi forte in magnitudine tantum infinitum sit reprobatum, & in eorum etiam numero, quæ simul esse nõ possunt, cuiusmodi sunt corpora. De qua re alias videndum. Quod autem ingenitum nullum intereat, ita dictum aliqui existimant, vt his tantum interitus negetur, quo nullum deinde simile rursus gignatur. Ita Aristoteles eos refellere, qui mundum ingenitum, & ita interituum ponebant, vt nullus rur-

ſus ſimilis gigneretur. Sed perſpicuum eſt, abſolute de quo cunque ingenito id demonſtratum. Potius ergo dicendum videtur, in his monſtratum eſſe, quæ vere ingenita dicũtur, vereque & proprie intereunt. Cuiuſmodi non ſunt poten tiæ, quæ & ingenitæ, & interire improprie dicuntur. Et hęc quidem de his ſatis.

Materiam primam, cum ratione, & eſſentia ſua potentia ſit, hoc aliquid proprie non eſſe. Cap. X V.

EX his, quæ de materiæ potentia hactenus tradita ſunt, eam vere & proprie hoc aliquid non eſſe intelligitur. Quod quidem Ariſtotelis perſpicuum & euidens dogma eſſe alias tradidimus. Rectius itaque ille, quam magiſter Plato, qui eam hoc modo & verius, ac magis proprie, quam formam nominandam exiſtimauit. Quomodo enim ſi eſſentia, ac ratione ſua potentia eſt, & ab ea, vt ille etiam fatetur, nullo tempore excidit, hoc aliquid eſſe, aut dici poſſit? Illud nempe hoc aliquid eſſe omnes cõcedunt, quod actu eſt, quodque poteſt digito veluti monſtrari, quodque eiuſmodi eſt, vt ſi quæratur quid res ſit, non aliud, quam illud reſpondeatur. Atque hoc, vel concretum eſt ex materia, & forma, aut certe forma ipſa, per quam concretum exiſtit. Veluti ſi ſphæra ænea ſit, & quis quid ſit inquirat, ſphæram profecto non æs dicemus. Sphæram autem aut formam, aut concretum ipſum. Plato autem contra docuit, qui de figuris aureis, quæ in dies ex auro viciſſim fiant, ſi quæratur quid ſint, aurũ voluit reſponderi, non circulum, aut ſphæram. Idque eo argumento quod aurum, & omnino materia permaneat, formis illis ſubinde mutatis. Eſſe autem materiæ propriam permanentiam, ſicut formarum mutationem. Nec enim quæ non permaneat, materiam eſſe, aut vocari poſſe, idque pronominibus hoc, vel illo indicari. Quæ ſententia veterum etiam fuit, qui ob permanentiam, quæ in materia cernitur, eam cuiuſque rei naturam eſſe, non for-

mam

mam censuerunt. De qua re Aristot. secundo Naturalis Auscultationis. Sed ratio eiusmodi efficax non est. Nam permanentia materiæ quidem propria est, qua non a formis solis differt, sed etiam a priuatione, quæ subiecto ab ea non dissidet. Verum vt hoc aliquid materia, aut aliud quidpiam sit, non efficit. Actus namque hoc proprium est, per quem res existit, quæ nisi existat, nullo potest pronomine indicari. Quamdiu sola est materia, quæ tamen sola esse numquam potest, sed animo sic, & cogitatione fingatur, res minime existit, nec suam obtinet naturam. Actus, qui forma est, quo hoc efficiatur, adueniat necesse est. Idcirco & formam verius quam materiam naturam esse, Aristot. contra veteres tradidit. Quemadmodum autem materiæ permanentia ad hoc nil confert, ita nec formarum mutabilitas alicui est impedimento. Quamdiu enim sunt, hoc aliquid efficiunt, vbi esse desinunt, hoc aliquid etiam desinit; Cum autem materia, quia potentia est, vere & proprie hoc aliquid non sit, quod tamen materia actu sit, & ens a forma diuersum, aliquo modo, & minus proprie hoc aliquid dicetur. Ita magis, quam priuationem hoc aliquid eam esse primo Physic. traditū est. Nam priuatio nullo modo hoc aliquid dici potest, quippe ei quod, aut per quod hoc aliquid est, nimirum formæ aduersetur, eamque summoueat. Atque si vlla ratione, cum non omnino priuatio, vt dicemus, nihil sit, hoc aliquid dici possit, longe tamen materia minus dicitur, quomodo & minus est, quam illa. Ea etenim comparatione priuationem quoque ipsam aliquo modo hoc aliquid esse Aristot. concedere videtur. Quod non magis absurdum, aut mirandum, quam quod eam habitus, & naturæ rationem aliquam secūdo eiusdem operis tradidit habere, cum tamen habitui, & naturæ penitus sit aduersa. Nec vero Platonem, cum materiam hoc aliquid esse concessit, Aristoteles (vt Simplicius credit) secutus est. Plato nempe hoc aliquid materiam, nec formam esse voluit, Aristot. formam non materiam, etsi hāc magis, quam priuationem, quod in lib. de Dogmatibus sa-

tis explicauimus. Hinc autem potest intelligi materiam nec corpus esse, nec corporis formam vllam coæuam habere, nec omnino actum esse, qui per se absque forma possit existere. Nam quicquid horum ponatur, hoc aliquid erit, vereque dici poterit, quod falsum esse ostensum est.

Quædam de materiæ potentia dubitationes, & quomodo a priuatione differat, eaque in illius ratione posita sit, non autem priuatio, hæc vero principium non illa, & omnino quid priuatio.
Cap. XVI.

SEd quæret aliquis quonam modo formas materia accipiat, eisque informetur, si vi & essentia sua (vt explicauimus) potentia est. Nec enim, si eiusmodi sit, a potentia potest excidere, id quod Plato in Timæo aperte constituit, quam tamen cum formas accipit, excidere necesse est, ne actu simul & potentia statuatur. Rursus priuatam esse vi, & essentia sua oportebit. Nam potentia esse non potest, nisi eius expers sit, cuius est potentia. Quod si priuatio in eius sit essentia, cum eam deserere non possit, nullas vnquam formas accipiet. Quod cum aperte falsum sit, in eius essentia priuatio non erit, quare nec potentia. Sed & Aristot. dogma est, priuationem materiæ accidere. Illud etiam dubium est, cum formarum expers non aliter materia sit, atque earum potentia, & receptaculum, cur non ex priuatione perinde, ac ex potentia sit definita? Cur non item potentia in rerum naturæ principijs perinde, ac priuatio fuit reposita, si non minus, quam illa ad rerum generationem requiritur, cum præsertim per se ens sit, at priuatio non ens? Quibus dubitationibus diluendis dicitur, materiam re vera, & ex se a sua ipsius potentia numquam excidere, eamque tamen formas accipere, illisque subijci. Nam duplex (vt dictum est) potentia in ea inest, vna ad formam

in ſe,& abſolute, cum ſua natura informis ſit,formarumque capax,altera ad hanc,aut illam formam. Quod cum ſit,a prio re numquam excidit, tametſi formas accipiat, quandoquidem permanet, quod erat, nec vim propterea, ac naturam ſuam amittit,quæ eiuſmodi eſt,vt omnia effici valeat. Poſterior potentia formæ aduentu aboletur. Quæ niſi periret, id, quod dictum eſt incommodum,actu ſimul,ac potentia futu ram conſequeretur. Cum potentia autem illa, quæ ad formam in ſe eſt,vt ad perfectionem ſuam actus hic,aut ille poteſt cohærere. Quemadmodum homo diſciplinæ natura capax cum ſit, capacitatem eam non amittit, cum diſciplinis actu imbuitur. Aliæ dubitationes dilui commode non poſſunt,niſi priuationis natura,& vis, & quemadmodum ad po tentiam affecta eſt, quove modo inter ſe differant, exponamus. Sed in primis commonefaciendum de ea priuatione nunc non agi, quæ eſt ex formæ,ſeu habitus interitu, a qua ad habitum,& formam, cuius eſt, regreſſum non eſſe in Categorijs traditum eſt. De ea tantum ſermo eſt, quæ formã, aut habitum antecedit,cum forma, ſcilicet, ſeu habitus, cuius eſt,nondum exiſtit. Hoc priuationis genus aliud nil eſt, quam formæ carentia,cum proxima ad eam accipiendam ha bilitate,quæ niſi inſit,priuatum id dici proprie non poteſt, quamquam eam formam non habet. Qua in re cum potentia conuenit, etſi ab ea differt, quod accedente forma interit,cum potentia poſſit (vt antea docuimus) permanere. Potentiam autem eam dico,qua formam in ſe, & abſolute materia reſpicit, ciuſque capax eſſe dicitur. Quomodo vero non periret priuatio,quæ formæ carentia eſt, niſi forma carere, ſimulque non carere materiam ponamus, quod nullo modo dici poteſt? Hunc priuationis interitum Ariſtot. tradidit, cum materiam ſua quidem natura ortus, & interitus expertem fecit,ſed tamen priuationis merito interitus parti cipem, cum videlicet illa formæ aduentu interit. Suo autem modo dicitur interire, quo ſcilicet poteſt. Nam interitus proprie eius eſt, quod eſt, & per ſe eſt, eam autem non ens

per

per se esse traditum est, quamquam & ens aliquo modo, & forma etiam nuncupatur. Sed de hoc postea. Illud nunc ponatur eam interire, ob eamque causam a potentia, quæ dicta est, differre. Quæ cum ita se habeant, intelligi potest priuationem in materiæ essentia non esse. Nam si esset, aut nunquam, non aliter, ac illa, aut cum materia periret. Quorum vtrumque falsum cum sit, ab eius essentia seiungi dicendum est. Quin si materia essentia sua, ac ratione esset priuata, formas numquam posset accipere, quippe quæ ab ea numquam excederet. Ac quemadmodum formas accipere, & illis subijci, ac informari, materiæ ratio, aut essentia non est, ita nec eis priuari. Vtrumque enim in ea vicissim inest, nunc videlicet formæ expers, nunc informata. Quod esse non posset, si earum alterutrum ad eius essentiam spectaret. Capacitas tantum, & habilitas ad eas accipiendas in eius essentia posita est. Nec si hæc eiusmodi sit, idcirco & priuationem talem esse (vt obiecimus) oportet. Nec enim necessarium est, vt habilitas, potentiaque illa formæ carentiam adiunctam perpetuo habeat, quippe quæ cum forma esse potest. Satis est vt natura sua formas in se materia non habeat, quarum essentia & ratione sua est capax. Ita dicitur, materiam nec quid, nec quantum, nec quale esse, sed hæc omnia potestate, quoniam natura sua nullum est eorum, potentiamque tantum ad ea omnia obtinet. Quæ potentia in ea semper permanet, etsi illa accedant, eorumque priuationes aboleantur. Themistius aliter ab hac quæstione se explicauit, nam in materiæ essentia, si prima notione consideretur, potentiam esse noluit, ob eamque causam nec priuationem. Sed hoc a vero alienum esse antea docuimus. Illud autem dubium, quod ait, & ex Alexandro in quæstionibus acceptum, quamquam formarum priuatio in materiæ essentia non insit, earum tamen negationem inesse. Nã ὃ ποίαν τῇ αὐτῆς φύσει, ἀλλ᾽ ἀ μὴ ἄποιον inquiunt, nisi quatenus ἄποιον negationem significat. Nam si ἄποιος esset, & priuata, iam qualitate aliqua, ait Themistius, informaretur, siquidem priuatio qualitatem quandam, & natu-

naturam significat. Dubium inquam hoc est, quoniam natura sua non solum formas materia non habet, sed earum etiam est capax, ad easque accipiendas habilis, quod quidē aliud nil est, quam eis priuari. Nec ἄποιον materiam concedere propterea timendum, quia qualitatem, seu formam in se haberet. Nam non eius generis priuatio forma est, cuius materia priuationem dicitur habere, nempe formarum, quæ vere, & proprie dicuntur. Et hæc quidem ad secundam dubitationem. Ex his autem & tertia diluitur. Quoniā enim priuatio in materia interit, nec eam semper comitatur, & a potentia numquam illa excedit, ex potentia est definita, nō ex priuatione. Vim etiam, & essentiam materiæ potentia magis indicat, quæ imperfectionem quandam, cuiusmodi materia est, significat. Ad ens præterea potentia magis, quam priuatio pertinet. Nam cum actu substantiam partitur, quod priuatio non facit. Est autem materia substantia, non igitur ex priuatione, quæ non ens est, debet definiri. Rursus ad formam, vt ad perfectionem potentia refertur. Magis igitur, quam priuatio, materiæ propria, quæ formæ gratia est comparata. Quoniam autem potentia accedente forma non perit, mutationis, seu ortus terminus esse non debuit. Eius enim terminorum, cum alter acquiritur, reliquus desinat, necesse est, siquidem materia sub vtroque esse non potest. Id facit priuatio, quæ formæ, ad quam ortus est, accessu euanescit. Principium autem Aristot. id posuit, e quo ortus, & omnino mutatio inciperet, ita vt altero adueniente recederet. Quod si potentiam proximam, quæ ad formā generandam est, quis obijciat, siquidem forma accedente non minus, quam priuatio (vt dictum est) aboleatur, ne hanc quidem ita vt priuationem, commode ponit Aristot. principium statuere. Nam diuersum a materia principij modum non omnino habere potentia videtur. Ex materia etenim, vt ex potentia res fiunt, quomodo ex forma, vt ex actu; priuatio autem longe diuersum habet, vt quæ formæ abentiā primum, & per se indicet, quam in materia esse necesse est, nisi

nisi res esse antequam fiat, statuatur. At quamquam potentia hæc carentiam hanc includere videtur, non tamen primum,& per se eam significat, sed quandam ad formam habilitatem. Ortus præterea ex non ente est ad ens. Ex priuatione igitur potius est,quæ non ens per se est, quam ex potentia, quæ cum ad actum referatur, entis obtinet rationem. Priuatio igitur principium potius, quam potentia fuit ponenda. Verum autem recte & ipsa principium posita sit,necne,antea disquisiuimus.

Priuatio quomodo non ens per se sit, & intereat, materiæque accidat, ac eius forma quodammodo dicatur.
Cap. XVII.

QVoniam autem non ens per se priuationem esse, eamque interire, ac materiæ accidere ab Arist.traditum docuimus, hæc quemadmodum se habeant dispiciendum. Absurdũ enim videtur,quod non ens per se sit,in rerum naturalium principijs id numerari, quod ab Aristot.factum est. Priuationẽ præterea materiãq; vnum & idem numero, & subiecto ille statuit. Quod si verum sit, aut materia quemadmodum priuatio non ens per se erit,aut si veritati & Aristot.hoc repugnat, quo modo materia ens est,eodem statuere eam oportebit. Quin & priuationem formam quoquo modo esse,secundo Physic. traditum est, quod de hac,de qua loquimur, priuatione ortum antecedente intelligendum, non de ea,quæ formæ interitũ (vt Portius censuit) sequitur. Admirandum item videri possit,eorum, in quæ contraria omnia resoluuntur, alterum nõ entis per se rationem habere. Contrarium enim vtrumque ens est,& quidem per se. In priuatiã autem, seu habitum, & priuationem contrariorum omnium fit resolutio,vt primæ philosophiæ decimo traditur. Priuatio præterea non formæ solum carentiam significat, sed quandam etiam, vt dictum

dictum est, ad formam accipiendam in materia habilitatem, quæ non ens per se non videtur dicenda. Hæc igitur difficultatem faciunt, ac vt verum disquiramus nos cogunt. Res autem ita, vt Aristot. tradidit, se habet: nempe priuationem non ens per se esse. Est enim per se formæ carentia, quā non ens per se esse nemo non concedet. Ita a materia differt, quæ cum non ens & ipsa dicatur, ex accidenti dicitur, quomodo priuatio ex accidenti ens est. Nam cum inter se coniuncta sint, alterumq; ens sit, alterum non ens vicissim sibi id, quod vtrumque est, communicant. Materia quidem priuationi entis rationem, priuatio materię non entis. Ita fit vt quamquam materia ens per se sit, ex accidenti tamen non ens vocetur, idque priuationis, quæ in ea inest, maleficio. Priuatio autem ab illa bonum pro malo accipiens, cum non ens per se sit, illius merito ens, licet ex accidenti, dicitur. Non ens tamen illud intelligendum non est, quod omnino non est, & nihil, sed quod non est hoc, aut illud, veluti non homo, aut non lapis. Nec enim priuatio omnino non est, aut nihil, siquidem a negatione differt, quæ nihil est, & esse penitus tollit. Quot autem modis non ens dicatur quinto Physicorum, & primæ philosophiæ duodecimo Aristot. explicauit. Porro inter priuationem, & negationem discrimen est, quod certum subiectum priuatio habet, in quo ad formam, cuius est priuatio, inest habilitas; negatio non item, sed pro miscue ad omnia, seu habilia, seu non habilia extenditur. Ita priuatio absentia est, in natura definita, veluti formæ animalis in semine, negatio simpliciter, & absolute. Eiusdem igitur formæ, atque habitus, & negatio, & priuatio esse potest, quamquam non necessario, nec omnium. Nam formarum æternarum negatio esse potest, non item priuatio. Pertinet autem negatio ad oppositionem contradictoriam, priuatio ad priuatiuam, quæ duæ oppositiones non ex habitu, aut forma, sed ex altero extremo distinguuntur. Quemadmodum igitur priuatio non ens sit, exposuimus. Quæ cum ita se habeant, nullum incommodum est, si in principijs naturalibus

ralibus posita sit, eo tamen modo principio sumpto, quo à nobis antea traditum est, pro omni videlicet eo, quod in materia, cum aliquid oritur, necessario requiritur. Principium tamen non rei ipsius, quæ oritur, sed ortus, siquidem ex ea existit, quæ si in materia non esset, ortus esse non posset. Nã aut iam orta res esset, forma in materia existente, aut nullo modo oriri posset, nulla in materia ad eam posita habilitate. Ita principium necessarium dicitur. Quod non esset, nisi eo modo non ens esset. Illud enim, quod gignendum est, non sit oportet. Tantum igitur abest, vt quia non ens per se est, principium esse non possit, vt si non ita esset non ens, nullo modo principium posset constitui. Nec, quod cum materia vnum numero ab Aristot. posita sit, idcirco non ens per se non est. Numero enim vnum, perinde ac si subiecto dictum esset, posita est. Subiecto autem vnum, quomodo album, & homo subiecto vnum dicuntur, quoniam in homine, vt in subiecto, inest albedo. Quoniam igitur priuatio in materia, vt in subiecto, inest, vnum subiecto dicuntur. Ex quo fit, vt quemadmodum diximus, cum priuatio non ens per se sit, id nomen ex accidenti materia participet, non ensque ex accidenti nuncupetur. Non entis item rationem a priuatione non tollit, quod forma quoquo modo dicatur, quæ tolleretur, si simpliciter & absolute, ac proprie forma nuncuparetur. Dicitur autem quoquo modo forma, quod in materia, vt forma quædam, insit, quippe quæ eius est accidens. Aut propter habilitatem, quam ab ea significari dicimus. Auerroes formam imperfectam ait. Simplicius, & Philoponus ratione alterius contrarij, quod in omni contrarietate priuantis habet rationem. Alij formam per accidens, quod cum aliqua forma, quæ generandæ contraria est, semper sit iuncta, vt cum calore, si frigus sit, inducendum. Omnibus autẽ his modis potest priuatio non ens per se dici, etsi quoquo modo sit forma. Nec admirandũ si in eiusmodi non ens, qđ non omnino non ens est, contrariorum alterum perpetuo reducatur. Admirandum autem esset, si in nihil. Potest

etiam

etiam hoc non ens per se habilitatem eam significare, quam non posset, si omnino non ens poneretur. Cum autem expositum sit, quomodo priuatio non ens per se dicta sit, nullumque ex eo incommodum accidat, videndum quomodo intereat, siquidem entis interitus est, vt non entis generatio. Interit enim, quod est, gignitur quod non est. Verum interire minus proprie sumptum est, pro eo, quod est, desinere, atque aboleri. Multæ autem tum eius, tum ortus significationes primo de Cœlo positæ sunt, quibus facile patet, interitum priuationi posse attribui. Iam vero si non ens omnino esset, interire nullo modo diceretur. Sed priuationem ens per se esse, non autem non ens, id videtur astruere, quod maleficam esse Aristoteles inquiat. Nam quod non est, nil pror sus facere, seu bonum, seu malum potest. Vbi etiam mirandum subijt, quonam modo Aristot. vt eam omnino non esse videri ostendat, eius maleficio vtatur. Altera (inquit) contrarietatis pars non esse omnino ei videbitur, qui ad eius maleficium animum attenderit. Quo loco non solum non ens per se esse, sed non ens omnino ait videri. Vt autem hæc dubitatio tollatur, videndum, quodnam eius maleficium sit, quippe illud maximum est, nimirum ei, quod summe expetendum est, & diuinum, ipsi videlicet esse, ac formæ, per quam res est, aduersari, illudque tollere, ac penitus perdere. Quod admirabile videri possit, id videlicet, quod non est, ipsi esse interitum afferre. Est autem hoc priuationis non materię (vt multi opinati sunt) maleficium, nisi quatenus priuationem habet adiunctam, & ea veluti informatur. Quoniam igitur ipsi esse, aut enti, nisi non ens, aut non esse nil ad uersatur, ipsumque tollit, & perdit, priuationi, quæ non ens est, maleficium hoc merito tributum est. Quomodo frigus maleficum dicimus, quod calorem vitæ fontem interimit, similiter mortem, propterea quod vitam perdat. Quemadmodum autem forma diuinum quid & expetendum sit, suo loco explicabitur. Cum vero maleficium hoc priuationi tribuitur, in formæ non autem efficientis genere ei tribuitur,

nisi

nisi quomodo nautæ absentia nauis mergendæ causa est. Priuatio autem materiæ accidere dicitur, quòd in eius non sit essentia, vt antea est explicatum. Nam si per se, & secundũ essentiam priuata esset, perpetuo talis maneret, nec formas vnquàm posset recipere. Est quidem perpetuo formis nonnullis priuata, sed quæcunque inest priuatio, potest interire forma adueniente.

Quonam modo generationis principium per se, rei genitæ ex accidenti priuatio sit, nec tamen causa.
Cap. XVIII.

NOn solum autem priuatio materiæ accidit, sed principium etiam ex accidenti est, quod quemadmodum explicandum est. Dubitationem enim habet, nec temere concedendum videtur. Aut enim principium (vt antea docuimus) non est, aut si sit, per se esse videbitur. Vterque enim in ortu terminus, scilicet ex quo, & ad quem per se est, nec alter magis, quam reliquus. Priuatio autem terminus est ex quo. Quod si ex accidenti sit terminus ex quo, forma in interitu principium ex accidẽti erit, siquidem ex ea ad priuationem existit. Necessarium præterea priuatio principium est, quippe quæ in ortu nisi sit, esse ille non possit. Nec in priuatione in principiorum numero ponenda a magistro Platone Aristot. desciuisset, totque de ea verba fecisset, nisi necessarium voluisset. Ex accidenti igitur non est, quoniam quod accidit a necessitate liberum est. Ex immusico item musicum per se fieri Aristot. statuit. Nam nisi per se intelligat, non ex immusico solum, sed ex albo etiã fieri poterit, cum ergo musicum non ex quouis fieri, sed ex immusico statuit, necessario per se intelligit. Quod etiã rei, quæ fit pars est, principium per se est, nec solum ex accidenti, atqui rei dum fit priuatio pars est. Ita Auerroes primo Physicorũ, generatum incompletum ex tribus ait constare,

triaq;

triaq; in eo inesse,subiectum, & ipsius non esse pars quædã, atque etiam formæ. Ex quo & rei principium videtur dicenda,nec solius (vt communiter dicitur) generationis. Rursus priuatio a materia subiecto,& numero non differt. Quomodo ergo principium per se illa est, ita & priuatio esse videbitur,aut certe neutra erit. Tot igitur ex huiusmodi sunt de re hac dubitationes. Quæ vt diluantur prætermittendũ, quemadmodum ortus a re, quæ oritur, differt, tametsi ad eam referatur, in eamque desinat, ita & eius principium aliquod esse posse,quod rei genitæ non erit. Rursus quod ex accidenti dicitur aliud dici, quomodo album ex accidenti ædificat, quoniam Architecto,vt album sit, accidat. Atque hoc domui,quæ extruitur,cum nil conferat posse non esse, nec propterea domus non extruetur. Aliud est,quod ita per accidens dicitur,vt aliquid ei conferat,cuius ratione ita nun cupatur. Ideo necessarium est,quamquam non per se, sed alterius,cui necessario accidit,ratione. Quemadmodum si ex colore aliquid necessario ex accidenti generari diceremus, quod ex materia fiat,quæ necessario est colorata. Priuatio igitur generationis principium per se, quomodo & terminus per se,ex quo existit. At rei genitæ principium ex accidenti, sed tamen necessarium. Materiæ enim accidit, quæ principium per se est,vtpote in re,quæ genita est,permanẽs. Accidit autem ita vt si res gigni debet, in ea præesse oporteat,non quemadmodum album architecto. Quare non omnino per accidens priuatio principiũ dicitur, immo vero si ad ortum referatur, non secus per se principium est, quam terminus ex quo. Quod si principium pro ortus subiecto sumatur,quod præpositione ex proprie solet indicari, nec ipsius quidem ortus principium erit, nisi ex accidenti, quatenus subiecto,vt priuatum sit,accidit. Quod si ex immusico musicum fieri Aristot. docuit, aut subiectum intellexit,id videlicet,quod musica priuatum est, aut ad generationem retulit, qua musicum efficitur, cuius principium per se est immusicum, vt terminus ex quo. Vnde & præpositio ex, quæ

ortus principium, seu terminum ex quo indicat, ipsi priuationi maxime accommodatur, vt etiam eius merito materię competere videatur. Nam idcirco ex ære statua fit, quoniã eius forma priuatum est, qua si informaretur ex eo minime fieret. Quoniam autem ortus principium per se priuatio est, eo modo, quo dictum est, quod inter contraria, quæ priuantia sunt, ortus per se existat, mirandum non est, si rei, dum oritur, nondumque perfecta est, pars sit, quod principij per se proprium est. Ac quamquam ortus momento terminetur, tempore tamen aliquo (vt alias docebimus) efficitur, quo tempore, quod mutatur, & fit partim est sub termino ex quo. Qui cum priuatio sit, non immerito partis nomen ea sibi quoquo modo vendicat. Vnde & generationis elementum ab Aristotele dicta est, quod falso dixisset, nisi in ea, vt quædam pars inesset. Sed cum rei, quamdiu fit, pars dici possit, mox tamen vbi genita est, complementum suum nacta, eius est expers, nec ea vlterius vt parte constat, vtpote formæ aduentu deperdita. Ita illius principium non est, nisi quatenus ortus extitit, & in materia, ex qua res orta est, inerat, subiecto, ac numero idem quod ea. Cum autem in ea non permaneat, sed accedente forma subinde aboleatur, rei quæ orta est, principium nuncupari non potest, quæ tamen antea ipsius ortus fuit. Qui autem eam generationis terminum per se, & primo, quod cogantur, concedunt, principiũque eiusdem ex accidenti inquiunt, suam ipsorum vocem, quod de Anaxagora Aristoteles tradidit, videntur ignorare, nam quid generationis terminus ex quo dici rectius possit, quam eiusdem principium? Qui terminus si priuatio per se sit, principium quoque per se erit. Nisi principium pro materia proprie sumatur. Nam tum priuatio principium ortus non est, nisi quatenus materiæ accidit. Sed alienum videtur priuationem principium, vt materiam statuere. Nam quamquam efficiens non sit, nec finis, nec forma, nec aliquo horum generum principium possit statui, non ideo tamen protinus fit, vt in materiæ genere debeat reponi. Nec vero

tia

tria esset principia, sed duo. Quin & ad formam verius forte reducetur, cum præsertim contrariorum vnum sui tum absentia, tum præsentia sufficere Aristot. dixerit, ipsamque etiam priuationem formam quoquo modo esse concesserit. Sed ad hæc causarum genera priuatio proprie non attinet, quin potius aliud quiddam principium significat, quod priuationi tribuitur. Latius namque principium patet, quam causa. Vnde Auerroes primæ philosophiæ quinto, principiũ inquit est, quasi vniuersalius causa, cum dicatur principium de mutationis principijs, & de quattuor causis, quod propter priuationem ab Auerroe dictum est, quam mutationis principium quidem esse videbat, non tamen causam, generibus illis quattuor comprehensam. Quod si causam Aristot. eam interdum nominauit, causæ vocabulo minus proprie, ac communiori significatione vsus est, quatenus idem quod principium significabat. Sed quis obijciet principij nullam ab Aristot. traditam significationem, nisi causarum, aut magnitudinis, vnde quis primo mouetur, aut facilitatis, vnde aliquid facile potest fieri, aut cognitionis, cuiusmodi sunt in disciplinis, quæ dicuntur suppositiones: priuatio igitur principium cum dicitur, si causa non sit, aliquo aliorum modorum principium erit, quod minime dicendum videtur. Nam nec est magnitudo, nec magnitudinis initiũ, nec ab ea actionis alicuius facillime initium sumetur. Non item cognitionis, aut doctrinæ principium. Verum dici potest hunc principij modum, qui priuationis proprius est, prætermissum. Quomodo, & qui ad formam attinet, atque etiam ad materiam, quarum causarum nulla in eius significatis facta est mẽtio. Nisi eius materiæ, quæ est vt carina nauis. Potest autem aliquo modo reduci ad primum modum, videlicet magnitudinis, quod ex priuatione mutatio incipiat, & ad terminum oppositum proficiscatur. Ad causas autẽ quattuor reduci proprie non videtur. Nam tres causas, & tria principia primæ philosophiæ duodecimo Aristot. quidem dicit, sed vnum rationem, & formam esse ait, alterum priuationẽ,

tertium materiam. Quibus verbis indicauit si priuatio causa sit, non tamen vt materiam esse, neque etiam vt formam. Quare aut causæ vnum genus in illis recensendis ab Aristot. prætermissum, aut pro principio vocabulum id vsurpatum, communiorique significatione, vt id significat, sine quo in mutatione cum insit, fieri illa non potest, & a quo initium sumit. Et hæc quidem de his satis.

Formarum appetitus quemadmodum in materia insit, & aliquot contra eum dubitationes.
Cap. XIX.

Illud autem docendum priuationem quemadmodũ materiam pessime, vt sic dicamus, afficit, atque vt non ens sit, dicaturque, causa est, ita ingens hoc malum, non leui beneficio rependere. Eius enim veluti opera cũ entium omnium infimum, & longe ignobilissimum materia sit, ad id quod diuinum est, & summe expetendum aspirat, summaque ad illud fertur propensione, nimirum ad formam, & esse, quod ex ea, & per eam existit. Alicuius enim cum ex se, & natura sua expers sit, perpetuo desiderio tenetur, non aliter ac turpe, vt Aristot. ait, pulchri, & maris fœmina. Nam cum tria rerum sint initia, ex quibus procreantur, & in his nobilitatis, ac dignitatis primum gradum forma obtineat, diuinumque sit quiddam, & valde (vt suo loco dicetur) desiderabile, ab aliquo profecto expetatur necesse est. Aut igitur a se, aut a priuatione, aut a materia, nam nihil reliquum est. At a se non potest, quippe nil se expetit, si ob indigentiam expetitio existit, nil autem sui indigum. Non item a priuatione, quæ tantum abest, vt eam expetat, vt ei omnino aduersetur, nec eam secum patiatur, immo eius accessu aboletur, perpetuas cum ea gerens inimicitias. A materia igitur expetitur, quæ & illius indiga maxime est, & nil contentionis, aut litis cum ea habet, quin

ad

ad eam in se accipiendam, & sinu suo fouendam est comparata. Ita formam a materia expeti Aristot. monstrauit, idque vt patet, tum ex formæ nobili, ac diuina conditione summe expetenda, tum ex materiæ indigentia. Quodque etenim id expetit quo indiget, eoque ardentius expetit, quo id, cuius indigum est, nobilius, atque præstantius. Nil autem forma nobilius, quæ cuique esse, quo nil expetendum magis, impartitur. Nil item huius magis indigum materia. Nam quãquam ens quoddam est a forma diuersum, esse tamen absq; ea non potest, ac nec vix animo concipi. Quod si nec formã absque illa esse posse, itaque mutuas operas sibi vicissim rependere, quis obijciat, hoc primum falsum esse intelligat. Nam sunt formæ aliquæ in materia non inhærentes, quæ, vt sint, ea non egent, veluti diuinæ, & mens humana. Deinde quæ egent, vt quæ sunt in ea, non ita vt sint, ab ea accipiunt, vt illa ab eis, subiectum tantũ est, & veluti lectum eis præbet, cum omnem existendi rationem ab eis recipiat. De qua re aliàs. Nam nemo est, vel mediocris philosophus, qui non multo diuinins, ac præstantius esse materiam a formã, quam hanc ab illa accipere non intelligat, & fateatur. Est enim materia (vt dictum est) potentia, nec sua natura quid, aut quantum, aut quale, Forma vero actus. Quare materia indiga est. Ita expetit, vt id sit, quod non est, ad idque tamen est comparata. Sed de hac formæ a materia expetitione a nonnullis dubitatur, suntque eam qui rideant, penitusque damnent, & explodant. Sunt item qui a formis materiam, quam has ab illa expeti potius censeant. Quorum rationes hæ sunt. Primum quod cognitionem, cuius penitus expers materia est, expetitio omnis sequatur. Deinde quod si q̃ sit appetitio, quæ absque cognitione esse possit, cuiusmodi est naturalis propensio, ne ea quidem in materia sit ad formas, quippe quæ eas omnes habet, & illis actu subijcitur, ita vt indiga non sit, nec indigentiæ ratione expetere debeat, quo modo graue, quod in centro est, illud vltra non expetit. Nec vero eas, quas non habet appetere. Nam & ignobiliores ap-

petet, quæ nobiliores sequuntur, vt cadaueris forma eam, quæ animalis est; Quod ridiculum admodum sit, materiam, scilicet hominis appetitu vehementi teneri, vt eius forma exuta cadaueris fætidam induat, ex qua vermes nascantur. Nobiliores etiam appetere non posse, nisi alterius partis materiæ interitum appetat, absurdum certe omnino & a ratione alienum, cum sint materiæ partes omnes homogeneæ, vnam alterius interitum expetere. Id autem ita se habere, quod sub nobiliori ea forma aliqua materiæ pars existat, quæ non potest ab altera expeti, nisi ipsa intereunte ad nobiliores etiam formas appetitus si esset, vanum futurum, quod nec cœli, nec hominis formam aliqua materia vnquam accipiat: Nullam etiam causam esse cur materia sub forma existens aliam expetat. Non enim quidem eius satietatẽ, quod hanc, si quæ esset, a materia nosci, & percipi oporteret. Sed hæc cur satura sit, nullam esse rationem, cum præsertim (vt dictum est) ignobilior sæpe succedat. Non item quod vna forma contenta non sit, quippe quæ duabus simul subijci non potest. Naturalem etiam propensionem, aut appetitum formam aliquam consequi arbitrantur, quomodo grauitatem propensio in inferum; At materiæ nullam propriã formam esse. Nec ex priuatione videtur esse posse. Admirandũ enim sit, si suum ipsius interitum priuatio procuret. Interit vero adueniente forma. Ideo a priuatione formam non expeti Aristot. tradidit. Quamquam exemplum, quod subijcit, contrarium videtur docere. Nam turpe ait pulchrum expetere, quod nil aliud esse, quam priuationem formam aliquis putabit. Hæ rationes sunt, quæ cum ab Auicenna, tum ab alijs contra materiæ appetitum afferuntur, quarum nonnullis Scaliger vir eruditissimus inter recentiores persuasus eum penitus irrisit.

Formarum appetitus qui in materia ineſt, amplior explicatio, & rationum,quę contra eum allatæ ſunt, ſolutio.
Cap. XX.

SEd qui materiæ vim & naturam,ac quemadmodum in ea appetitus pronatur penitus intelligit rationibus, ac dubitationibus cō memoratis non difficile poteſt reſpondere. Sed illud ante omnia ponendum,quod ſua natura imperfectum eſt,natura etiam perfectionem deſiderare, & quod parum, aut vix eſſe participat, nobilioris,ac præſtantioris naturali deſiderio teneri. Iccirco caducum, & mortale imperfectum eſſe cum ſit, vt vix quodammodo eſſe dicatur,ob eamque cauſam, quæ caduca sũt, non entia a nōnullis ſint appellata, omnia ſempiternitatem, quoad fieri poteſt,naturaliter expetunt. Ob eamque etiam cauſam generationem rebus caducis Deus, & natura protiderunt, vt cum in indiuiduo perpetuari non poſſint, in ſpecie perpetuarentur. Hinc illud deſiderium naturalirer inſitum ſibi ſimile procreandi. Et de hoc quidem cum à Platone,tum ab Ariſtot.multa multis in locis ſunt tradita. Ita in grauibus & leuibus, cum extra loca ſua ſunt poſita, appetitio ineſt naturalis ad ea proficiſcendi. Nam cum extra ea im perfecta ſint in eis perfectionem nanciſcuntur. Eſt enim locus vt forma,ac in eo talia ſimpliciter dicuntur. Iccirco cur ad loca ſua ferantur non magis quærendum quarto de Cœlo Ariſtot. docuit,quam cur ſanabile ad ſanitatem.Imperfecti igitur natura hæc eſt, vt quam maxime perfectum eſſe na turaliter expetat. Ipſum etiam eſſe eius eſt conditionis, vt ab omnibus naturaliter expetatur, & quo perfectius fuerit, eo magis. Notum autem omnibus eſt,imperfectiſſimam ma teriam eſſe,& ipſam eſſe vix participare, vt quam ſubſtātiam ſimpliciter nominare Ariſtot.auſus non ſit,ſed vel prope ſub ſtantiam, aut ſubſtantiam potentia, quæ eorum, quæ ſunt

actu, nil sit, sed omnia potentia. Econtrario autem formam non perfectam solum esse, sed ipsam perfectionem, vt quæ entelechia dicta sit, & quæ non tantum sit, sed cęteris vt sint, impartiatur. Hæc ergo ita cum habeant, quid mirum si formæ desiderio materia teneatur, & eo quidem naturali, quod propensio quædam est, & inclinatio naturalis, quod ἔφεσιν, quasi itionem quandam Græci nominaruut. Cum autē hæc, quæ dicta est, formæ in se ratio sit, quæ cuique communiter conuenit, eam in se, & simpliciter materia appetit, nec magis hanc quam illam. Nam quemadmodum potentia, quæ in materiæ inest essentia, ad formam absolute non hanc, aut illam est, eamque perpetuo comitatur, ita & appetitus, qui eā sequitur, & ei respondet proportione. Vtrum autem alium quendam ad hanc, aut illam appetitum habeat, dubium est. Videtur quidem habere, quemadmodum & priuationē, quę contrarietatis merito inest, siquidem forma, quam habet, aut alteri contraria est, aut contrarietatem habet adiūctam. Sed naturalis tamen appetitus, & perpetuus in ea non erit, vt nec priuatio, siquidem accedente forma cessabit. Ab agente etiam præter contrarietatē, quæ dicta est, particulari erit, qui materiā sic afficit, vt ad formam hācidoneam eā reddat quæ quamdiu non inest, materia priuata, & appetens dicitur; Vbi autem in eam recepta est, & priuatio, & appetitus cessant, cum tamen naturalis ille, qui ad formam in se est, permaneat. Nam materia licet formas recipiat, non tamen vim suam, & naturam amittit, quæ potentia esse dicitur, & nec quid, nec quantum, nec quale. Quam vim & naturam appetitio ista, seu propensio, quæ imperfecti est ad perfectum comitatur, tametsi formarum numquam sit expers. Nec vero putandum est in materia prima formarum omnium expertem, ad quascunque formas appetitum inesse. Cur enim nunc potius ad hanc, quam ad illam, cum non simul ad omnes esse possit, ita vt simul eas accipiat? Quemadmodum igitur hominis, aut leonis forma in materiam primam nudam non recipitur, ita nec in ea nuda earum appetitio. Elementa

autem

autem a dsint oportet, ita inter se ab agente temperata, vt materia efficiantur formis illis accipiendis idonea. Hæc igitur eas expetet, quandoquidem illis priuatur, & ita affecta est, vt cum eas non habeat, possit tamen habere. Quin & materia prima fit ad ignis, aut aeris formas propensionem certam habet, id non ex se videtur esse, sed ab agente causa, quæ eam ita præparauit, vt eis, & non alijs excipiendis formis idoneã reddiderit. Alioqui ex se omnes æqualiter expetit, quippe quæ ad formam tantum in se, & absolute feratur, idque vt perficiatur, & esse diuinum participet, quod ex forma, vt forma est, proficiscitur. Præparat autem agens, aut rarefaciendo, aut densando, aut tenuando, aut incrassando, aut aliter afficiendo; Atque eæquidem potentiæ proximæ dicuntur. Cum autem hæc ita habeant ad obiecta facile respondetur. Ac primum quidem dicitur nullam in materiæ appetitione cognitionem requiri, quippe quæ naturalis sit, quam nulla antecedit cognitio, quemadmodum eam, quæ animalis propria est, quæ cum sensu perpetuo coniuncta est. Nec enim grauia, aut leuia loca sua, qua appetunt, agnoscunt, sed natu ræ quodam impetu, & propensione ad ea feruntur. Non itẽ magnetẽ ferrum nouit, ad quem tamen ita rapitur, vt eum summe expetere videatur. Sed hoc apertum magis, quam vt explicationem maiorem requirat. Quoniam tamen ista propensio temeraria non est, nec materiæ, aut rebus alijs temere indita, ob eamque causam cognitionem aliquam, quin potius intellectionem consequi videtur, cum a rebus ipsis id, quod appetunt, non cognoscatur, a summo rerum principio omniumque prima intelligentia, quæ omnia regit, & fouet, ordinemque rebus omnibus, & eam de qua loquimur, propensionem indidit, id agnosci docti quique philosophi fatentur. Cum igitur materiæ hic appetitus naturalis duntaxat sit, nec aliquam in ea cognitionem requirat, non omnino ei erit similis, quo marem fœmina appetit. Is enim etsi naturaliter in ea inest, cognitionem tamen sequi potest, mixtusque esse ex eo, qui animalis est, & naturali. Materiæ porro

ro hunc appetitum formæ, quæ in ea insunt, non tollunt. Nam in ea inesse, ac totam formari perspectum est, quippe quæ sub elementorum formis tota sit, nec vlla eius portio, quæ formæ expers, inueniatur. Sed cum eius appetitus ad formam in se, & absolute feratur, ab hac aut illa forma non magis tollitur, quam ea potentia, quæ in eius essentia posita est. Quod enim sua natura informis sit, & potentia ad formam, & actum propensio permanet, nec ob vllam, quæ in ea insit, formam tollitur, aut desinit. Quod admirandum forte videri possit, quod materia indiga tunc non sit, nec imperfecta, vtpote formata. Sed res tamen ita habet ob potentiam, de qua numquam decedit, cum in eius essentia comprehendatur. Frustra igitur quæritur quid sit, quod dum vna informatur, aliam formam desideret. Nam aliam nullam determinatam desiderat, sed ad omnem æque propensa est, nisi agentis, quod illam alteret, & præparet (vt dictum est) efficientia. Quare nec nobiliorem, nec ignobiliorem. Quæ si vicissim sibi in ea succedunt, quod ad eam attinet, ex accidenti est, totamque ad generantem causam, aut aliud quiddam refertur. Illa enim eam ita præparat, vt ad hanc, & non aliam formam in ea potentiam inducat, quam propensio protinus insequitur. Non item eam appetit, quæ in altera est materiæ portione, nec aliquis vmquam hoc dixerit. Sed si determinatam appeteret, similem & eiusdem speciei posset appetere. Sed hunc appetitum materiæ illius interitum non sequitur, vt antea obiectum est. Nec igitur satietas alterius formæ appetendæ causa est, nec quod vna forma contenta non sit, du abusque simul velit subijci, nam nullam vnã determinatam (vt dictum est) appetit. Absolute autem ad formam propensa est, vt quod natura imperfectum est ad perfectionem. Quod acutissimus Scaliger veritate veluti coactus tandem concessit. Non posuit (inquit) qui materiam condidit, in ea appetitum mutationis, sed perfectionis tantum. Perficitur autem sub qualibet forma quælibet pars, & tota sub omnibus. Omnia recte. Sed addendum est hûc

perfe-

perfectionis appetitum in materia perpetuum esse, quemadmodum & imperfectionem. Falsum vero illud est propensionem omnem formam aliquam consequi. Ea enim tãtum formam sequitur, quæ est ad agendum, siquidem actio a forma existit. Quæ autem est ad recipiendum, materiam consequitur, cuius proprium pati est, atque recipere. Ex priuatione autem est, vt ex eo, sine quo esse non potest, & veluti ex occasione, quomodo diuitiarum appetitio ex paupertate. Non igitur priuatio interitum suum procurat, vt optime Aristot. tradidit. Nec exemplum contrarium est. Nam turpitudo, quę priuatio est, pulchrum non expetit, sed id, quod turpe. Ita quæ appetitum ex materia tollunt, rationes soluuntur. Addunt alij rationem ex artis materia, quæ nullam appetit formam, nec enim marmor Cæsaris, aut Herculis figuram: Sed ratio est hominum philosophiæ ignarorũ, nec discrimen inter naturæ, & artis materiam tenentium, atque ideo leuiter & temere enuntiantium. Nam quemadmodum ars a natura differt, quòd natura principium sit motionis internum, ars externum, ita & artis materia a naturali. Hæc enim formas, quas in se actu non habet, potestate continet, vt ex eius veluti sinu ab agente causa depromantur, ac quãquam extrinsecus, quod multi censent, accederent, ob materiæ tamen insitam potentiam in eam inducerentur, quæ potentia ita definita est, vt non quæuis, aut ex quauis educi, aut in quamuis possit induci. Artis autem materia nullo modo formam in se habet, sed tota extrinsecus accedit absq; vlla materiæ potentia, aut alteratione. Potentiam aũt definitam dico, quæ in hac materia ita sit, vt non in alia, & ita ad hanc formam, vt non ad aliam. Alioquin notum est marmor eiusmodi esse, vt ex eo statua possit exculpi. Quemadmodũ igitur potentia hæc in artis materia non est, ita nec appetitus. Sed de naturali aliter res habet. Nam in ea, quæ propinqua est, vis etiam quædam actiua videtur inesse, qua veluti ex se ad formam fertur, & rapitur, veluti materia eorum, quę sponte absque semine generantur. De qua re Aristot. pri-

tiam, quam appetitus consequitur aliqui esse arbitrentur. Erit igitur circulus in causis. Appetitus videlicet æternæ generationis causa per formæ, quæ inest, interitum, quam alia, quæ appetitur consequitur, & generatio ęterna ipsius appetitus. Nisi forte in diuerso causæ genere sibi vicissim causæ sunt, hæc illius vt finis, ille huius vt efficiens, seu vt forma. Sed absurdum videtur ex hoc appetitu formam vnam interimi, vt alia accipiatur. Minus probabiliter loquuntur, qui in formæ imperfectionem causam referunt. Quamcunque enim formam definitæ esse perfectionis, vt infinitam materiæ imperfectionem nequeat adæquare. Aliam igitur perpetuo experi. Sed falsum est infinitam esse materiæ imperfectionem. Imperfecta quidem enim ex se est, non tamen infinite, nisi quomodo materia infinita statuitur. Perficitur etiam illa pro sui, & formarum qualitate, & conditione. Illud ergo potius dicendum nullam esse determinatę, in materia prima (vt dictum est) formę desiderium, & cum ex se imperfecta sit, ad perfectionem perpetuo inclinare. Formas autem in ea alteram alteri succedere, non ob prioris satietatẽ, aut posterioris determinatum appetitum, sed quod formarum earum eiusmodi natura sit, quæ perpetuo in ea esse non possint. Cuius rei causa est, tum ipsa materia, quæ eas tales reddit, ex quo etiam interitus, & ortus causa dicitur, tum formarum ipsarum contrarietas, aut certe differentiarum, quibus constant, & cum eis coniunctę sunt, aut ab eis proficiscuntur. Quod propterea dicimus, ne formis substantialibus contrarium nullum esse aliquis obijciat. Quamquam hoc dubium est, a multisque existimatum non omni substantiæ negatum contrarium, sed tantum compositę. Quod igitur aut forma, aut quid eam necessario consequens contrarium habeat, perpetua esse non potest. Contrarie enim priuatio in materia inest, ob contrariorum conditionem, quæ eiusmodi est, vt in eodem subiecto esse non possint, atque si vnum insit, alterius priuationem habeat adiunctam. Quæ priuatio vt inest, ita & appetitio, quę eam perpetuo comitatur.

mæ philosophiæ septimo. Præterea artis materia, quæcunque actu est, naturalis autem potentia, quæ in perfectionem inclinatur. Ratio igitur hæc ab artis materia deducta leuissima, cuius generis omnes fere sunt, tam horum quam aliorum, qui ob curiositatem, & ambitionem a probatissimis ve rerum, ac receptissimis dogmatibus recedunt. Sed quid illud a forma materiam potius, quam a materia formam expetere, quod hi ipsi, & censent, & docent? Hoc omnem profecto absurditatem superat, rebusque ordinem inditum peruertit. Quis vnquam intellexit, ac ne somniauit quidem id, quod perfectum est, & cœteris vt sint, ac perfecta sint, causa est, id expetere, quod imperfectum est, & in substantiæ genere vix reponitur? Quis rursus id, quod nondum est, appetere id, quod est? Cum igitur forma perfectissimum ens sit, & antequam in materia insit, illamque formet, non sit, quomodo materiam, quæ omnium imperfectissima est, formamque antecedit, possit expetere? Cum autem iam in ea inest, non vltra expetet, vt quæ eam complectitur, nec eius est indiga. Sed hæc portenta cum eorum authoribus mittamus.

Aliorum de causa, cur formam materia expetat, sententiæ, & quemadmodum eius appetitus a potentia differat.
Cap. XXI.

ILla vero breuiter expendamus, quæ de materiæ formam habentis appetitione ab alijs produntur. Nonnulli enim eam esse inquiunt, ad æternam seruandam generationem, vt quomodo materiam, ita & eius potentiam & appetitionem æternam esse propterea oporteat. Sed hæc ratio, quæ a fine sumpta est, formarum interitum ponit. Cuius interitus gratia generationem æternam Deus prouidit. Videndum autem, quæ interitus eius causa sit, cum hunc ipsum appetitum, seu potentiam,

tatur. Cum autem quę priuationis, & potentiæ differentia sit, antea explicauerimus, nunc, quæ eiusdem potentiæ, & appetitus, qui in materia inest, aliquis requiret. Parū enim discriminis in eis videtur esse, cum potentiam nil aliud esse dixerimus, quam ad formas habilitatem, quæ propēsio quædam ad eas videtur, id quod appetitum hunc esse est traditum. Differunt autem inter se, naturæque ordine appetitionem potentiam antecedit. Vnde quidam hunc ordinem statuunt. Primum materiam sub intelligentiam cadere, tum formis carentem, deinde naturaliter potentem, post procliuem, & inclinatam ad formam, postremo appetentem. Cuius ordinis ratio hæc affertur, quod ad priuationem, & formam indifferens materia sit, nempe vtriusque subiectum. Quod itē priuatio ad potentiam, & non potentiam eodemque modo potentia ad formam, & non formam, seu etiam ad priuationem, quod rursus inclinatio ad formam tantum sit, sed tam ad eam, quæ inest, quam ad eam, quæ non inest, appetitus autem ad eam solum, qua caret; nam ad eam, quā habet, amorem potius, aut fruitionem. Ita igitur potentia appetitui quodammodo præire, an latius patere, quod non solum ad formam sit, sed etiam ad priuationem, appetitus autem tantum formæ. Sed de his dubitamus. Primum quia materia intelligi non potest, nisi formis carens, & potens, siquidem potentia in eius est essentia. Et quamquam formarum carentia ad hanc eius essentiam non videtur attinere, quoniam aliter formas non caperet, ipsa tamen cum secundum se intelligitur, formarū expers intelligitur, quippe nec quid, nec qualis, nec quanta. Deinde naturalis inclinatio appetentia, aut certe ab appetitu non differt. Quid enim aliud est, materiam potentia esse, nisi actu id non esse, cuius est potentia, & ad illud esse comparatam? Non item aliud materiæ, & omnino rerum inanimatarum appetitum esse diximus, nisi naturalem propensionem. Præterea materia ad priuationem, & formam, cum sint contraria, indifferens licet videatur, formam tamen magis, quam priuationem respicit, & ad eam est

ordi-

ordinata,non ad illam. Quod de potentia similiter dicitur. Nec item secundum se potentia est ad priuationem,cum pri uata actu,& potentia ad formas, secundum se materia intelligatur. Ita enim quid non esse dicitur, nec quantum, nimirum actu. Rursus priuatio ad non potentiam indifferens non est, nisi ea, quæ interitum sequitur, de qua sermo non est,& quæ ad potentiam non est indifferens. Cum autem appetitus aliud nil sit,quam naturalis inclinatio,& formæ quę habetur,hæc esse potest, ita & ille esse poterit. Hæc tamen cum ita se habere videantur,potentia& appetitus differunt, sed ratione sola,quod alia materiæ, quatenus potentia est, ratio sit,alia quatenus appetit, & ad formam propensa est. Nam in potentia compreheditur id eam esse posse,cuius est potentia. In appetitus autē ratione id non inest,siquidem & impossibilium esse potest, vt voluntas, quamquam forte in naturali appetitu hoc verum non est,propterea quod creden dum nulli a natura inditam ad aliquid,quod esse non possit, propensionem. Nam frustra ea esset, cum tamen nil frustra natura faciat vt ab Aristot. sæpe est traditum. Alij ratione differre hæc inter se aiunt, quòd perfectionem,& actum po tentia demoliatur, non in differentiam ad priuationem, & formam. At appetitum inclinationem, & impetum notare. Primum ad perfectionem velut rei imperfectæ finem, deinde ad formam,vt non concausam, atque hanc, quæ ad compositum est, habitudinem posteriorem esse habitudine ad formam, & ad perfectionem. In quibus illud primum non intelligo,quod aiunt potentiam demoliri perfectionē. Ad illam enim cum sit comparata, & perpetuo in materia insit, quomodo eam demolietur? Nec enim ita demolitur, vt simul cum ea esse non possit, siquidem dictum est, materiam formatam id permanere, quod ex se, & natura sua est, nempe potentiam, nec ex ea decedere. Deinde illud non probatur, appetitum inclinationem ad formam, vt ad concausam notare. Formam enim materia appetit, vt sui perfectionem, nec vt concausam, velut ad compositum refertur.

Ac

Ac quamquam in forma hæc duplex ratio sit, non tamen vtraque a materia expetitur. Sed de his satis.

Materiam primam nec gigni, aut genitam esse, nec interire, aut interituram rationibus naturalibus ostendi, & fore vera a Deo opifice creata.
Cap. XXII.

NVnc disquirendum vtrum hæc rerum omnium prima materia, quæ formarum natura sua expers est quidem, sed ad omnes potentiam habet, & propensionem, orta sit aliquando, oriaturque etiam an potius æterna, quæ nullo vmquam tempore genita sit, aut gignatur, atque si gignitur, aut genita sit, vtrum intereat, vel interitura quandoque, an interitus expers, & perpetuo duratura. Veteres physici omnes quam quisque rerũ materiã posuit ingenitam statuere, ea vt puto ratione, qua Arist. postea est vsus, quod si genita esset, ex alia materia genita fuisset, siquidem ex nihilo gigni nil potest. De Platonis sententia controuersum est: sunt enim qui aliquo temporis initio procreatam ab opifice statuant, vt Ficinus. Sunt qui procreatam quidem, sed ab æternitate. Verum aliter sentiendum, nempe æternam ab eo positam, nec vllo modo progenitam, seu temporis initio, seu etiam ab æternitate. Quod longa oratione in lib. de Dogmatibus ostendimus. Primum non interituram ab eo aperte traditum, deinde (quamquã non ita aperte) nec genitam. Quod dogma Aristot. probauit, atque apertius explicauit, & demonstrauit, ratione vsus, qua eam nec gigni, nec interire prorsus ostendit. Videndũ autem vtrum ita res habeat, & quæ in eius demonstratione insit efficacitas, possitque ne id alijs rationibus ostendi. Dupliciter autem hoc considerandum. Primum quidem naturæ vno lumine, rationibusq; ex ea duntaxat petitis. Deinde absolute, ac simpliciter, & omnino in se. Ac primo quidem modo,

modo, si quid statuendum aliter dici non potest quam materiam nec gigni, aut genitam aliquando esse, nec interire, aut interituram, vt Plato, & Aristot. docuerunt. Altero modo non genitam quidem, aut interituram, sed tamen non æternam, verum a summo opifice ex nihilo creatam, eandemque perpetuo mansuram, non natura quidem sua, sed creatoris benignitate, quod de mundo a Platone est traditum. Nam quamquam in ea, quæ in diuinis litteris descripta est a Mose mundi creatione nulla materiæ primæ facta est mentio, sed cœli duntaxat, & terræ, & eorum, quæ eis continentur, sunt tamen alia in eisdem litteris loca, quæ mundi ex nihilo effectionem doceant. Sed & illud, terra erat inanis, & vacua, eam ante mundum conditum nihil fuisse aliquorum sententia significat. Sunt & qui terram materiam primã interpretentur. Absolute igitur & simpliciter, quod Religio veritatis magistra docet, materiam primam, ex qua est mundus, vna cum eo conditam, & creatam tenendum, quod Platonis etiam decretum fuisse Ficinus (vt diximus) opinatur. Naturæ autem ratio aliter monstrat, nimirum eam nec genitam, nec interituram, non item gigni, aut interire. Nec enim ei dogmati assentitur, quo aliquid ex nihilo fieri Religio, ac veritas tradunt. Vnde physici omnes in id consensere, ex nihilo nil gigni. Nec eam inter creationem, & generationem, quæ a Theologis traditur, distinctionem agnouerunt, vt creatio sit ex nihilo, generatio ex subiecto, atque materia. Quam vocabulorum distinctionem vnde acceperint ignoramus, siquidem non ex mundi creatione a Mose descripta. Nec enim illud, creauit, quo vsus est interpres, productionem ex nihilo significat. Nam vbi nos habemus creauit, hebraice est Bara, quo omnis fere actio, & formatio significatur. Deinde septuaginta interpretes verterunt ἐποίησαν quod verbum facere significat. Rursus eodem in loco subijcitur Deum cete grandia creasse, item hominem, quæ tamen certum est non ex nihilo facta. Illud vero proprie discrimen inter facere, & creare, quod facere tam animatorum

quam inanimatorum proprium est, at creare eorũ propriũ, quæ propagatione generantur. Sed quæ causa tandem fuerit, quæ hanc distinctionem inuexerit, creatio nunc vsurpatur, cum aliquid ex nihilo efficitur, factio, seu generatio cum ex subiecta materia. Creationem igitur veteres physici non agnouerunt. Non item Plato, aut Aristot. Quicquid enim fit, aut gignitur, ex subiecto aliquo gigni voluerunt, quare materiam non gigni, nec genitam, ne si gigni, aut genita ponatur aliam ante eam ponere; ex qua gignatur; aut genita sit, materiam oporteat, de qua rursus eadem quæstio redibit, nec prima erit, quæ prima ponebatur. Eodemq; modo nec interire, aut interituram. Quoniam quicquid interit in materiam interit, nec enim in nihilum res abeunt, siquidem materia, ac mundus iam pridem desiuissent. Si igitur materia intereat, in materiam interibit, quare erit postquam interierit, aut alia erit prima, de qua eadem, vt de ortu dictum est, quæstio existet. Porro quicquid fit ex aliquo fieri, in omnibus patet, quæ fiunt, seu simplicibus corporibus, seu his, quæ ex eis admixtis constant, lapidibus, stirpibus, animalibus. Omnia enim hæc ex materia generantur. Patet idipsum, & longe magis in artefactis, quorum nullum ex nihilo est, sed omnia ex materia, quocunque tandem modo efficiantur. Hæc igitur Aristot. ratio efficax & firma. Cui hæc adijciuntur. Quicquid gignitur potentia antea fuit, quam gigneretur. Nam si potentia non fuit, quod fieri non potuit, genitum est. Materia ergo si aliquando genita est, aut gignatur potentia extitit, ita vt actu materia non esset. Ac cum potentia illa in nihilo, aut non ante omnino esse non posset, in aliquo ente necessario fuit. Idque cum nil præter materiam esse queat, siquidem hæc materiæ natura, vt potentia sit, antea extitit, quam gigneretur, quod omnino dici non potest. Nec satis videtur vt in potentia (vt loquuntur) obiectiua agentis, seu opificis, quod Theologi sentiunt, extitit, nisi etiã passiua potentia ponatur, quæ ipsum esse recipiat. Rursus ratione Auerr. Si materia genita sit, eius generationis subie-

ctum

ctum aliquod fuerit necesse est, quemadmodum & cuiusque aliarum rerum generationis aliquod esse perspectum est. Ex subiecto ergo genita. Quare aut non prima, aut erat antequam gigneretur. Ex nihilo autem fieri non potnit, quod oporteret, aut mutatum aliquid sine mutatione esse, aut mutationem in non ente recipi, quorum vtrumque impossibile existimatur. Quis enim album absq; albedine, aut absq; calore calidum dixerit? Ita igitur nec mutatum sine mutatione. Nec minus absurdum in non ens, aut nihilum mutationem recipi, siquidem non ens, aut nihil mutaretur. Alterum autem horum sequi eo patet, quod si materia genita est, cum antea non esset, aliquid in ea est, quod antea non erat, mutatum igitur aliquid. Ita aut sine mutatione, aut mutatio in non ente. Additur ratio ex efficientis causæ actione, quam materia, quòd actu ex se non sit, terminare non potest. Siquidem efficientis causæ opus est, vt ex non esse actu ad esse actu perducat. Nec vero, quod ens sit & actu materia, sufficit. Nam non propterea actu est, nec qui cum ente actus conuertitur, efficientis terminus esse potest. Ille vero est in quem & potentiam ens ipsum diuiditur. Nam ex ea potentia in actum ducit, qui actus est formalis, aut a forma. Ac quamquam materia ens sit, a forma (vt antea dictũ est) diuersum, non tamen actu est, aut existit, nisi per formam. Nec si ens ab esse deriuatur, idcirco omne ens actu est ex se. Est autem per existentiam, quę aut ipsum est, aut non ipsum. Quinetiam, quod aliquid absolute sit, non actu ideo est, sed quod actum in sui essentia includat. Quamobrem materia etsi sit, actu propterea non est, atque si actu est, actum in se includit. Sed de hoc antea satis dictum. Rursus si materia genita sit, aliquid erit magis potentia, quam ipsa, nempe subiectum, ex quo genita est. Potentia enim fuit, antequam gigneretur, & magis, quam postquam genita est. Quare & potentiæ eius subiectum. Nil autem materia magis potẽtia. Materia igitur genita non est. Quare nec interit, aut interire potest tum ob eam, quæ ab Aristot. allata est, causam, tum

quod simpliciter ingenitum nihil potest interire. Atque hęc de materia dicuntur, Quod Aristot. dixit κατὰ δύναμιν.i. quatenus potentia est. Nam alio modo oriri eam & interire, quadamtenus concessit, qua ex parte videlicet priuatione affecta est, quod ipse dixit id esse, in quo, Priuationis enim merito aliquo modo interit, quatenus illa formę accessu recedit, quippe cum priuationi subiecto, ac numero eadem sit. Ita enim eius interitus fit particeps. Sed mirandum videtur, cur non formæ potius, quam priuationis interitu, & ortu gigni eam, & interire statuerit. Nam cum priuatio non ens per se sit, ortus & interitus valde improprie particeps dicitur. Quod incommodum in forma non accidit, quæ est ens per se, & ad quam tum generatio, tum interitus terminatur. Aliqui dixere proximam dispositionem, quæ est potentia proxima & forma opposita, quæ inest materiæ, per priuationem intellectam. Sed patet de hac forma nec sermonem factum, nec priuationem dici. Priuationi igitur potius, quam formæ tributum est, quod illa a materia subiecto (vt diximus) non differat, ac sibi etiam vicissim cætera, quæ sua sunt, communicant, veluti priuatio materiæ, quod sit nō ens, materia priuationi, quod aliquo modo ens sit. Quod autem Simplicius attulit, non satis nempe priuationem in materia, vt in subiecto esse, formam non item. Immo vero ratio hæc contrarium docet. Nam forma in materia ita inest, vt esse ei tribuat. Quod autem in subiecto est non item, potest enim absque eo, subiectum manere, atque consistere. Formæ igitur potius ratione, & interibit, & gignetur, quam priuationis. Illud autem priuationis interitu materiam interire, quia formæ accessu absconditur, qui est quidam veluti interitus, non satis physicum, aut subtile. Nam cum materia perpetuo sub forma sit, perpetuo erit abscondita. Ex accidenti igitur hoc, qui dictus est, modo materiam interire Aristot. voluit, per se & absolute minime, quod ipse dixit secūdum potentiam, quasi dixisset sua vi, & natura, quæ in potentia posita est. Alij vero potentiam hanc interpretati sūt,

materiæ naturam,& indeterminationem,quæ numquam de ficiet, ob id, quod formæ,quas recipit, certo numero non claudantur. Dictum est autem, quoniam potentia in eius sit essentia,& ab ea numquam excedat, vt secundum eã nec oriri,nec interire dici possit. Ita cum duo in materia insint, priuatio & potentia,illius ratione interitus sit particeps,huius minime. Atque hoc modo interpretatio hæc locum aliquem obtinet. Hunc porro interitum per se materiæ congruere dici posse censet Simplicius, nec enim alicubi legi eã ex accidenti interire. Ita illud eo in loco κατὰ μὲν τὸ ἐν ἰῷ, qđ ad priuationem referimus ad materiam accommodat. Sed patet,si priuationis ratione materia interit, eam per se non interire. Nec si expressum non est eum ex accidenti interitum esse,ideo talem non intelligi debere. Verum hic interitus ei,quæ de materia demonstratur, æternitati nil obstat. Nam quod per se est inquiritur. In Aristotelis autem hac de monstratione Philoponus notauit, materiam secũdum tem pus quidem ingenitam demonstrari, ita vt nullo tempore vnquam esse inceperit, non autem quod a causa non proficiscatur. Duabus enim his modis generatio dicitur, tum ea, qua aliquid,cum non erat,in lucem editur, tum ea, qua causam habet, a qua extitit,etsi numquam inceperit,vt Platonici fere omnes mundum ex Platonis sententia genitum contendunt. Hoc igitur secundo modo materiam ingenitã non monstrari,idque perspicuum esse,tum rationibus,quibus nunc vtitur,tum his,quæ alibi tradidit. Nam cum dicitur, si materia genita sit, fuisse antequam gigneretur,perspicue patere, tempore, non autem ex causa ingenitam monstrari. Alibi vero traditum omnia a primo principio pendere, vt in duodecimo primæ philosophiæ. Item esse a primo omnibus deriuari,alijs clarius, alijs obscurius. Quæ si de rebus omnibus dicta sunt,materiam primã minime exclusam. Quorum Philoponi dictorum cum aliqua certa sint,& vera, aliqua tamen dubia. Illud certum materiam nullo temporis initio monstrari. Dubiũ vero vtrũ eum generationis, quæ a

causa est, modum Aristot. tradiderit, tametsi multi ex eius sententia id censeant, nosque etiam cum eis aliàs consensimus. Sed de hoc ortus modo in his, quæ de mundo, fusius dicetur. Nam qui ex primo de cœlo affertur locus, ad mortalia, & sublunaria maxime attinet, atque si ad æterna & cœlestia, ob id dictum videtur, quod a prima causa vt conseruante dependeant, quomodo & locus ex primæ philosoph. 12. intelligendus. Nec quod motus ingenitus sit, & tamē a motore proficiscatur argumentum efficax est, eum generationis modum ab Arist. vt Simplicius opinatur, traditum. Nam motus accidens quiddam est, qui nisi fiat, qualis qualis statuatur, seu æternus, seu genitus esse non potest; Quod de permanentibus minime dicendum. Non item illud verum, aut firmum, quod idem author tradidit, materiam in se solum & in sua communitate æternam demonstratam, hanc vero & illam veluti aeris, & aquæ gigni & interire, quomodo & formas, quibus formatur, & indiuidua existit. Vnde etsi quis primum corpus materiam dicat, illud quoq; vt commune est, incorruptum esse. Aquæ enim corpus vna cum suis qualitatibus in aeris corpus & qualitates, vt tale est tantum, nō qua tenus corpus mutari. Hæc inquam prorsus non vera. Nam materia non in se solum, & in sua communitate æterna est, talisq; ab Aristot. ostensa, sed singulæ etiam eius partes. Quæ nisi æternæ sint, nulla erit æterna, cum in partes ea diuisa sit, & tota elementorum formis subiecta. In se vero intelligentia solum concipitur. Nec aliquid impedit, quod aut ex formis indiuidua efficiatur, aut aer in aquam, vel contra mutetur. Aer enim in aquam mutatur materia manente, nec genita, aut corrupta. Quæcunque ergo materiæ portio æterna est, vt tota. Aliæ materiæ non primæ æternæ non sunt, vt elementa, quæ continenter oriuntur, atque intereunt.

Dabi-

Dubitationes contra materiæ primæ æternitatem, earumque solutiones, similiter & rationum, quibus æternitas eiusdem monstrata est. *Cap. XXIII.*

Sed contra hanc, quæ monstrata est, materiæ æternitatem dubitationes existunt. Primum Simplicij, quod aut in genere, & in se æterna sit, aut in indiuiduo. Si in genere, nullum fore inter eam, & formam discrimen, quoniam & illa interitus in genere sit expers. Si in indiuiduo futurum vt deperdita hac forma materia ei subiecta superuacanea sit, vtpote nullius materia, quatenus erat illius. Formis item indiuiduis, quæ illa remanente intereunt, præstantiorem futuram. Deinde Philoponi, quod Aristot. demonstratio eo axiomate, quicquid fit ex subiecto aliquo fieri, & nil ex nihilo, nitatur, quod tamen a vero abest. Aliqua enim, quæ ex nihilo oriantur, Aristotele etiam fatente esse, vt anima sentiens, & omnino formæ omnium animalis partium, vt ossis, carnis, & cœterarum. Has enim ex temperamento non existere, sed ab ipsa vniuersitate in materiam extrinsecus immitti, ex non ente omnino procreatas. Ex temperamento corpus ad animam tantum accipiendam idoneum reddi, sed temperamentum animam non esse. Quomodo nec harmonia chordæ est, aut ex chordis, sed a musico in eas extrinsecus immittitur, vbi ad eam accipiendam eas præparauit. Nec vero fieri posse vt deterius præstantioris causa sit, nempe animæ elementa. Quemadmodum ergo hæc ex non ente omnino procreantur, ita nil vetare, materiam ex nihilo genitam nulla alia posita materia. Perspicuum quidem esse rerum singularum materiā non gigni, quia compositum sit, quod gignitur. Ita Philoponus cuius postremum hoc dictum Simplicio penitus aduersum qui materiam hanc, aut illam noluit gigni. Dubitatur item ex Aristotele tertio de Cœlo, qui ait generabilium, & corru-

ptibilium principia generabilia, & corruptibilia esse. Cum ergo materia generabilium principium sit, generabilis erit. Deinde ex Auerroe primo Physicor. subiectum est id, quod in rei veritate generari dicitur. Est autem materia prima subiectum primum. Quod etiam in alteratione patet, cuius subiectum alterari dicitur. Nec aliter ratio exigit, quando subiectum ex eo, quod in eo inest nominatur, vt album ex albedine. Cum itaque materia generationis subiectum sit, generari concedetur. Nec enim subiectum forma est, aut compositum, quæ durante generatione nondum sunt. Materia item rerum aliarum & generationis, & interitus causa est, quare & ipsa hasce mutationes participabit. Hæ igitur sunt de hac conclusione dubitationes. Ad quas dicendum, primum quidem ad Simplicium, non vt ipse respondit, in genere, & in se materiam æternam, in indiuiduo generabilem, sed vtroque modo (vt antea dictum est) æternam. Nec tamen ob id formæ similis est. Nam nulla forma communis est, quę in partes diuidatur, quomodo materia. Nullum item incōmodum aliquod æternum non æterno esse vilius, vt celeste corpus anima sentiente. Potest igitur materia, quæ formis vilior est, æterna esse, cum illæ non sint æternæ. Philoponus autem decipitur, quòd putet formas ex nihilo creari, extrinsecus in materiam immissas, quod falsum esse in lib. de Dogmatibus docuimus, docebimus etiam in progressu, in disputatione de formis. Nunc quatenus ad rem conducit, dicitur animam & omnino formam omnem materialem potentia in materia inesse, & vi agentis idonei ex illa potentia in actum duci, nec eas in materiam præparatam extrinsecus infundi. Nec idcirco ab elementis solum sunt, quoniam effectrix causa requiritur, quæ & materiam præparet, & formas ex eius potentia extrahat. Nec aliter artifex facit. Cum enim harmonia in chordis, & aere potentia sit, eam ex illa potentia educit, nec in eas extrinsecus immittit. Quod si dubitationem remanere obijcias, quoniam forma omnino ex materia, vt ex sui parte non fiat, ideo ex nihilo, occurrendum,

dum, dicendumque formam, etsi materiam, ex qua sit, non exigat; eam tamen in qua potentia sit, vt ex ea educatur, exigit. Formæ igitur cum fiunt, omnino materiam requirunt. Præterea formæ proprie fieri non dicuntur, sed compositū. Verum materiam, quocunque tandem modo fiant, requirūt, ita & materia, si facta sit, aliam materiam ante se habuit, ex qua est facta. Rerum autem generabilium principia generabilia sunt ex accidenti. Non enim per se, quod alia habe rent priora, ex quibus per se gignerentur. Principia itē propinqua generabilia dicuntur, veluti elementa, non autem re mota. Subiectum etiam, quod generationi subijciatur gene rari dicitur, non quod generationis terminus sit, aut generatione acquiratur, quomodo & alterationis subiectum. Fie ri etiam subiectum dicitur, quod actu id fiat, cuius subiectū est, vt æs fit statua, non autem fieri absolute. Ita quoquo modo ex generatione materia nominatur. Quamquam ne ex eo quidem omni, quod in aliquid recipitur, id nomen re cipit, veluti ex actione id, quod patitur nomen non habet. Actionem enim in se accipit, nec tamen agere dicitur. Est autem materia rerum omnium ortus, & interitus causa ob priuationem, & potentiam adiunctam, sed inde non fit vt ip sa oriatur, aut intereat. Inquiunt alij subiectiue causam esse non formaliter, quare non effici vt idem ipsa perpetiatur. Sed de hoc quemadmodum sit, mox paucis agendum. Illud nunc superest, vt quando hoc de materiæ æternitate decretum naturę quidem consentaneum, sed tamen absolute falsum esse, & cum Religionis decretis pugnare dixerimus, quemadmodum argumentis eam monstrantibus respondea tur, doceamus. Ac primum quidem ad Aristot. rationem di cendum in generatione quidem omni, quę vere generatio est, ac motu quodam efficitur, quæque agentis naturalis pro pria est subiectum, & materiam requiri, ex qua id fiat, quod gignitur. Sed præter hunc alium esse generationis modum, quem nostri (vt diximus) creationem nominarunt, qui absq; motu est, nec subiectum vllum, aut materiam requirit, soliusq;

liusq; Dei omnipotentis proprius est. Cuius potentia tanta est, vt non solum in ens agere possit, sed etiam si dicere liceat, in non ens. Quod admirabile quidem non solum est, sed omnem etiam superat admirabilitatem. Nam si cognitionis anticipatione ea, quæ non sunt prouidet, hæcque ipsa sibi vendicat, non minus quam ea, quæ sunt, nimirũ quoque in ea agit, faciendo vt sint, cum antea omnino non essent. Quæ res, quamquam maximæ subtilitatis est, humaniq; capitis ambitum, & fastigium excedat, electa tamen a Deo ingenia, ac iudicia quædam tum hoc, tum alia eiusmodi intelligunt, eorumque cognitionem cæteris minus electis cõmunicant. Materiam igitur ex nihilo creauit, non ex vlla alia subiecta materia. Itaque nec fuit, antequam fieret, nec fuit potentia in aliquo subiecto, quod nullum erat, sed in mente tantum opificis, & huius mundi exemplari. Nec aliquid in ea creatione mutatum est, nec omnis mutatio rei est subsistẽtis, sed contrariorum tantum. Contradictoria vero subsistẽs nil habent, cuiusmodi est, creatio, quæ est inter non esse omnino & esse. Quod si fuit in aliquo mutatio cognitionis fuit, qua esse cognitum est, quod antea non erat. Quod rei creatæ tribuere si quis velit, vt quæ nunc sit, cum antea non esset æquiuoce id fiet. Nam esse mutatum nil dici potest, nisi sit, & ex vna affectione aut omnino forma in aliam transeat. Ita ad Auer. dicitur. Potuit etiam materia quamquam ex se actu nil sit, eorum, quæ sunt efficientis actionem terminare, præsertim cum formis prædita simul crearetur. Nec enim spatio temporis informem mansisse (vt Plato censuit) credendum est. Atque cum ex nihilo hoc modo creata sit, nil potentialius ea extitit, ex quo fuerit creata. Hæc igitur pro materiæ ex nihilo creatione Omnipotentis Dei propria. De cuius omnipotentia ineffabili, nemo tam magnifica, excelsa, & immensa cogitare potest, quin longe maiora maneant cogitanda. Ad hanc vero veteres sapientes vno sensu, ac ratione ducti minime peruenerunt.

Mate-

Materiam primam impaßibilem eſſe, licet pati ei attribuatur, ac rerum,in quibus eſt, perpeſsionis, & omnino interitus, atque etiam caſus ſit cauſa. Cap. XXIII.

NOn ſolum autem ingenita materia eſt, & ab interitu libera, ſed omnium etiam earum mutationum expers, quæ perniciẽ aliquã, aut incommodum ei poſſint afferre. Nec enim augeſcit, aut imminuitur, ſed eadem ſemper mole permanet, nec quod ad rerum perpetuum ortum aliquid ex ea capiatur, propterea decreſcit,aut quid de ea decedit. Id enim ſemper ſumitur,qđ alterius erat corporis cuius forma interijt.Formas duntaxat mutat,eas viciſſim accipiens mole, ac ſubſtantia ſem ꝑſeruata. Ac quamquam in nonnullis amplior fieri, aut auguſtior videtur,vt cum ex igne ſit aer,aut contra, totius tamen vniuerſi habita ratione eadem eius moles perſeuerat. Contrahitur quidem cum ex igne fit aer, quod ex maiori ignis portione minor aeris,ob eius craſſitiam fiat,quomodo & extenditur, cum ex aere ignis. Sed in neutra mutatione de eius ſubſtantia aliquid deperditur. Ac cum alicubi contrahitur,alibi extenditur, & contra,ne aut vacuum ſit in rerum vniuerſitate, aut corporum penetratio,ſed ne alteratur quidem quomodo materiæ ſecundæ,quæ alteratione tandem in interitũ abeunt,veluti elementa, quæ per alterationem antecedentem intereunt,ſimilareſque partes in animantibus, & ſtirpibus. Materia prima alterationis quidem ſubiectum eſt,ſed per formam mediam,cuius numquam eſt expers, idque eo modo, vt ob eam nil perpetiatur. Nec enim alterationis ſubiectum proximũ materia eſt, propterea quòd actu id eſſe oporteat, quippe quod mouetur eſt & actu, alteratio autem eſt motus. Nec generans in materiam proxime agit; ſed alicuius ſemper forma intercedente,veluti ſi ignis agit in aerem,non in materiam agit,ſed in ipſum aerem, cuius forma cum decedit,

dit, eo ipso ignis forma succedit. Nil igitur perpetitur materia, aut læsionem aliquam ab agente aliquo accipit, aut ab his, quæ in eam accipiuntur, formis. Quod a Plotino præclare admodum traditum est. Quæ enim (ait) materiam intrãt nil eam penitus lædunt. Namque horum impulsus ad eam non attinent, sed potius vicissim. Calidum namque sedat frigidum, & album offuscat nigrum, vel si commisceantur, aliam quandam conficiunt qualitatem. Ita materia non patitur, sed patiuntur ea, quæ commiscentur. Quibus verbis passionem, & læsionem a materia remouet, & his tribuit, quę in eam accipiuntur. Et recte quidem, si recte tamen res intelligatur. Contraria enim etsi vicissim a sese non patiantur, se tamen pellunt, atque interimunt, quippe quæ simul cohærere non possunt. Quo mutuo pulsu materia nil læditur. Rursus materiam quolibet accedente nil ait consequi, nec abeunte, quidpiam deperdere, sed semper quod fuit, permanere], & perseuerare. Quid enim formæ accessu ad eam accedat? Quid item recedente ea, ex illa deperditur, quippe quæ potentia semper est, & ex ea numquam excedit. Actu quidem illud fit, cuius formã accipit, sed id quod erat, nempe potentia, non mutatur. Cumque aliud actu esset, veluti aer, nunc hoc efficitur, nimirum ignis, hoc ipso, quod erat, sub aeris forma, ignis formam accipiente. Quare quoquo quidem modo deperdere aliquid, & aliud acquirere dicitur, sed ad naturam tamen suam, ac essentiam simpliciter nil accedit, nilque de ea decedit. Quod speculorum similitudine ostenditur, quorum ea est natura, vt ab eis, quæ in eis apparent, imaginibus, perpetiantur. Ita igitur materia a formis, quæ in eam accipiuntur, nil patitur. Sed similitudo dogmati Platonico est consentanea. Nam eas, quæ materiam subintrant, formas Idearum imagines esse Plato censuit, materiãque veluti speculum, in quo videantur, quod longe minus, quam alia specula ab his, quorum imagines apparent, perpetiatur. De qua re in progressu cum de forma dissereretur, & in secundo etiam de Dogmat. Aristot. autem hæc similitu

do

do non probatur. Nam Ideas sustulit,& formas,earum imagines esse non statuit, non item speculum materiam. Quæ omnia rectius,quam Plato,vt suo loco docebitur. Videtur vero,& re ea ab illo dissensisse, quod materiam perpeti dixerit, hocque eius esse proprium, quo a forma, cuius propria actio est,differat. Sed re vera non dissensit. Perpessionem enim latius vsurpauit,nempe pro receptione. Quomodo vero a formis materiam pati censeret, quam ab eis perfici, ab actu videlicet potentiam tradidit. Quod si passio nominetur,alterius certe est generis,veluti & id,quod intellectui, & sensui tribuitur. Materia igitur formas accipiendo vere, ac proprie non patitur, nec læsione vlla afficitur, quin potius perficitur,nec aliquid deperdit, sed id semper permanet,qđ erat. Sed illud admirandum,cum nil incommodi ipsa perci piat, nec patiatur, aut lædatur, causam tamen esse, cur ea, quæ in ea insunt,aut ex ea constant, patiantur,lædantur,magnisque incommodis afficiantur. Quod in omnibus rebus materialibus aperte constat, quippe quarum nulla est, quæ non alteretur,& aliquid omnino perpetiatur. Ita elementa vicissim agunt,& patiuntur. Res item aliæ ex eis admixtæ ob eam alterantur. Quod cum multis alijs locis,tum primo de ortu, & interitu, & primæ philosophiæ nono præclare Aristot. tradidit,hancque causam esse voluit, cur quæ a materia sunt liberata nihil alterentur, aut omnino patiantur. Adeo autem a materia proficisci hoc statuit, vt quæ vnam eandemque materiam non habent,ea nec vicissim agere, nec perpeti voluerit. Fatigationis item omnis causam esse censuit,ideo cœlum motu suo perenni non fatigari, nec timendum vt ob laborem,aut fatigationem ab eo desistat,vt cœteræ animantes consueuere, quod videlicet illud huius materiæ expers sit,quamquam alia diuiniori, ac præstantiori constans. Interitus tandem rerum,& vt non sint, hæc ipsa causa est,vt ab eodem Aristot. cum secundo eiusdem operis de ortu,& interitu, tum primæ philosophiæ septimo, & alibi etiā traditum est. Quare cum tot tantorumque malorum materia

ria

ria causa sit, & author in rebus naturalibus, peccatum originale a doctissimis nonnullis viris vocatū est. Sed horum omnium causa quærenda, & explicanda. In libro de Longitudine, & breuitate vitæ, vbi animatorum interitus causa inquiritur, contrariorum merito in materiam refertur. Materiam enim habenti, vt aliquod contrarium non insit fieri nō posse, materiamque ipsam contrarium aliquod protinus con sequi. Contraria autem sibi vicissim interitum procurare, omnibus notum est. Ex contrarijs autem in materiam hoc referri, idque ratione, inde potest intelligi, quod cœlestis materia contrariorum expers cum sit, nullius cœlo interitus, aut prorsus incommodi causa est. Non est igitur id materiæ, quatenus materia est, proprium, sed qua ex parte talis, nempe generabilium, quæ contrariorum est receptrix. Sed non hæc duntaxat contraria, quæ vere contraria sunt, vt calidum, & frigidum tanti mali sunt causa, verumetiam priuatio, quæ materiam perpetuo comitatur. Eius ergo merito eorum, quæ dicta sunt, causa materia dicitur. Atque hoc maleficium est, quod ei ex Aristot. antea tributum est. Perpessio igitur omnis, fatigatio, alteratio, læsio, incommodūq; omne contrariorum, ac priuationis ratione materiæ ascribitur. Sed præter hæc sua est ipsius natura, quæ potentia est, nec aliquid actu est, qua potentia efficitur, vt ad formas accipiendas habilis sit, & propensa, nec eas, quas habet, semper retineat, sed versatilis, & Prothei more nunc his, nunc illis subijciatur, quod non solum naturalis materiæ propriū est, nec etiam quoquo modo artefactorum, vt primæ philosophiæ septimo traditum est. Hanc ob causam cœlestia, quę huius generis materiam, quæ natura sua potentia sit, non habent, nisi ad locum, & vbi, quæ eidem semper formæ subijcitur, nec ex vna in aliam mutatur interire, & desinere nō possunt. Ob hanc potentiæ naturā casus etiam causa materia dicitur, & omnino eius, quod est ex accidenti, quod nec semper, nec plerunque euenit. Quam ob causam casum ipsum in cœlo similiter non esse secundo de Cœlo Aristor. tradidit.

dit. Eius autem quod ex accidenti contingit materia causa est, quæ aliter quam vt plerunque fit, sese habere potest. Vt cum materia hæc apta sit admittere vt hi digitis quinis generentur, interdum etiam senis, aut quaternis, causa ea est, vt hoc accidens existat. De qua re in sexto de prima philosophia. Nemo autem miretur ab his omnibus, quæ dicta sunt, materiam liberam esse, quæ cæteris tamen rebus eorum sit causa. Nam & contrarium nullum ipsa habet, cum tamen cæterorum contrarietatis author sit. Cōtrarium autem nullum materiam habere dictum est, vt quæ esset omnium receptrix, nec posset in rebus, si contrarium haberet, vt pars earum consistere. Vnde hi merito commendati sunt, qui cum materiam corpus aliquod fecissent, contrarietatis quam minime particeps fecerant. Sed cum eiusmodi sit nil tamen in se accipit, quod aut contrarium, aut oppositum aliquo modo non habeat. Ita rerum contrarietatis videtur causa, eorumque etiam malorum, quæ a contrarietate proficiscūtur, cum tamen ab eis libera permaneat. Quoniam autem materia quemadmodum patiatur, & non patiatur dictum est, illud addendum eam non agere, quod quidam putarunt. Nam licet aliquid, vt forma sit conferat, quippe quæ subiectum eius est, non eo tamen ipso agere dicitur. In materiæ enim genere nec efficientis causa est formę. Potestque vnum ex principijs esse, licet nil agat. Nec enim principia omnia vim agendi habent, neque eorum est ratio.

Materiam

Materiam primam vnam numero esse, non solum priuatione, sed etiam (vt loquuntur) positiue, contra Auerrois sententiam. Cap. XXV.

VNa autem omnium, quæ oriuntur, & intereunt, materia sit, necne inquiritur. Nam plures esse aliquis dixerit, non quidem in rebus singulis, vt plenum & inane Democritus, & quattuor elementa Empedocles, similaresque partes infinitas Anaxagoras, sed in diuersis, vt vna in nonnullis insit, in alijs alia. Ac ea quidem non proxima, quomodo carnis materia est sanguis, aut fœtus semen, seu menstrua, sed remota, & penitus prima. Nam proximam materiam vnam omnium non esse, sed cuiusque suam omnibus constat. Dico autem proximam, quæ eadem prima, & remota non est, cuiusmodi materia, de qua agimus elementorum. Hæc enim vna in eis cum insit, eorum ratione & proxima est, & remota, si tamen remotam nominare liceat, inter quam & illam nulla alia intercedit, & ex qua vna constituuntur. De hac non adeo constat, vtrum vna sit, an plures. Sed tñ & ipsa non vna potest videri. Alia ignis enim materia, alia aquæ, alia terræ videbitur. Vnde & Plato cum Pythagoricorum rationem secutus, ex triangulis, veluti ex prima materia elementa conficit, non ex hisdem omnia conficit, sed terram ex æquicruris, cætera & scalenis. Quinetiam atomorum authores non ex hisdem specie atomis omnia generant, sed ignem ex acutis, terram ex obtusis. Cum igitur ignis, terra, & aqua tantopere diffideant, nempe crassitie, & tenuitate, mobilitate, & inertia, ad motumque inhabilitate, alijsque differentijs materię quodammodo proprijs, non eadem omnium materia esse videbitur, nec solum numero non eadem, sed neque specie. Nam numero patet eandem non esse, cum ne in ignis quidem, aut aeris diuersis partibus numero vna, eademque insit. Quod si omnium vna specie, &

essentia

essentia esset materia, & immutari omnia in sese vicissim possent, & omnium, quod ad materiam attinet, eadem esset essentia. Sed nec omnium eadem essentia, nec item in sese omnia mutantur. Non enim calidum in humidum, aut contra, nec oleum in vinum, nec pleraque alia in alia. Quorum autem eadem materia est, ea vicissim in se mutari, secundo de ortu traditum est. Aristot. tamen, & Peripatetici omnes, vnã esse docuerunt, ob eiusque vnitatem elementa ex se vicissim oriri, & interire, vnius nunc formam ea accipiente, modo alterius. Quin & in ea nihil esse, cuius merito ab alia differat, siquidem differentia omnis a forma sumatur, quam nullam ex se, & sibi propriam obtinet. Ita res controuersa, & difficultatibus plena non immerito videtur. Quæ controuersia difficultasque omnis tollitur, si materiam hanc, quæ principium est, duobus modis consideremus. Vno in se, & secundum naturam suam, vt formarum omnium expers, nec quid, nec quale, nec quantum actu, sed omnia potentia. Altero vt nunc est, semperque fuit, & erit, formis substrata, actuque omnia, quæ in hac generabilium rerum sunt vniuersitate. Priore modo materia vna est, non specie solum, sed etiam numero, nec priuatiue tantum (vt loquuntur) ac cum Auerr. permulti sentiunt, sed etiam quoquo modo positiue. Posteriore modo plures numero materiæ sunt, specie, ac ratione eædem vnius in eas diuisæ portiones pro formarum, quibus subijcitur, numero, ac multitudine. Atque hoc quidem primum constat. Nam corpora hæc orbi Lunæ subiecta, quæ ex materia vt parte sui composita sunt, inter se disiunguntur, nec sunt continua, quamquam ne vacuum aliquod interceptum ponatur contigua. Quæ corporum disiunctio tũ ex formis diuersis intelligitur, tum ex locorum mutatione, cum ex vno in alium transferuntur alijs manentibus. Nemo autem eandem numero materiam in corporibus inter se disiunctis posuerit. Sed dubitatio est, an portiones illæ vt numero, ita specie, ac ratione inter se differant, necne. Nam videntur differre ob eas, quæ antea allatæ sunt, rationes, quod

nec omnium vna sit mutatio, nec eadem specie essentia, quæ tamen esset si nulla in portionibus illis speciei, & rationis differentia extaret. Quin & habilitates diuersæ, ac potentiæ in eis videntur inesse, per quas alias, & alias formas accipiunt. Ob has igitur habilitates, atque potentias ratione inter se different. Sed aliter res habet, omnino enim eiusdem speciei sunt, ac rationis. Nam formis elementorum solis proxime subiectæ sunt, & per eas cæteris. Elementa autem vicissim omnia in sese mutantur, quamquam alia facilius alia difficilius. Quæ mutua mutatio esse non posset, nisi eiusdem rationis materia constarent. Quæ autem in sese non mutantur, ea aut contraria non sunt, quæ in sese mutari non possunt, vt calidum & humidum, aut mista sunt & composita alijsque elementorum formis, alia etiã quam prima materia constantia, quæ mutari in sese nisi diuersis mutationibus non possunt. Generales etiam proprietates in eis portionibus eædem insunt, veluti ingenerabilitas, incorruptibilitas, æternitas, contrariorum receptiuitas, & eius generis aliæ. Habilitates autem, aut potentiæ diuersæ, aut nullæ sunt, vt antea docuimus, aut ex agente causa, quæ illas præparauit, quarum vis tanta non est, vt speciei, ac rationis in materia diuersitatem inducat. Materiam autem, & quamcunque eius portionem ad omnem elementi formam accipiendam ex se aptam diximus, cum etiam æqualiter contraria respiciat, & recipiat, vt secundo Physicorum Auerroes tradidit. Nec vero si eiusdem speciei, ac rationis materia in omnibus insit, idcirco omnium eadem essentia. Nam ex materia essentia non est, sed ex forma, quæ rei ratio est, & vt dicitur quidditas, vel vt Aristoteles τὸ τί ἦν εἶναι. Ac quamquam essentiæ pars poneretur, vt quidam censent, ne illud quidem consequeretur. Minus etenim princeps pars esset, forma principatum obtinente. Quomodo autem speciei eiusdem materia dicatur, cum species non sit, mox explicabimus. Nunc alterum membrum doceatur, materiam in se, vt informis est, vnam numero esse, idque positiue, quod

Auer-

Auerroi maxime absonum videbitur. Nam priuatiue quidem id concedit, omnium, scilicet formarum priuatione animo conceptam vnam numero remanere. Sed positiue non concedit, quòd vnitas secundum numerum positiua a forma proficiscatur, quæ vt esse, ita & vnitatem cuique rei impartitur. Ac quemadmodum per formam suam quodq; est, ita & numero vnum. Quamquam alij in aliud referunt, seu materiam, seu qualitatem, seu quodcunque aliud indiuiduationis (vt loquuntur) principium ponunt. Nam cum indiuiduum vnum numero proprie sit, idem videtur, per quod indiuiduum, & per quod numero vnum est. Sed in compositis, quæ ex materia, & forma constant locum hoc habet. In simplicibus non item, cuiusmodi sunt materia & forma. Nam quamuis forma, & numero vna, & indiuidua, non tamen per aliquid aliud, sed per se ipsam dicitur, alioqui concretione quadam constaret. Atque hæc Aristot. sententia est, primæ philosophiæ octauo ad finem, quo in loco tametsi de generibus primis, quæ hoc ipso quod sunt, nec per aliquid alind vnum sunt, loqui videatur, ad omnia tamen, quæ composita non sunt, sermonem refert, vt quæ materia omni & sensili, & intellectili destituuntur. Ita Auerroes in eiusdem primæ philosophiæ paraphrasi tract. primo de substantijs separatis vnum numero interdum dici statuit, idq; verius, quam de alijs formis, quod & qualitate, & quantitate sint indiuiduæ. Ita igitur & materia prima vnum numero dicetur, idque per se, & ex se, non per vllam formam, quam nullam propriam accepit. Dico autem ex se, & per se, quatenus ens est, & substantia, a forma item cœlestium materia differens, & prorsus diuersa. Illud quidem fatendum non esse eam vnum numero omnino, vt compositum indiuiduum, quod est hoc aliquid, & per se consistit. Sed quomodo substantia est, ita & vnum numero. Est autem substantia positiue, licet non actu formata. Nec enim ita priuata intelligitur, vt substantiæ rationis expers intelligatur. Est etiam vnum naturalium rerum principium, eaque

numero vnum, nec aliter. Nam alioqui tria numero principia Aristoteli non essent. Nec dicendum hanc,& reliqua diuersa ratione vnum numero esse; Formam autem vnam numero priuatiue nemo protulerit. Materia igitur si ab omni forma animo nudetur, nec ex formis hanc, vel illam eius portionem sibi subijcientibus diuidatur, vna numero remanet, continuata, & cohærens, eaque positiue ex vi, & natura sua, qua parte substantia hæc ita est, vt alia, ac diuersa non sit, non quod talis re vera numquam sit, cum numquam a formis nudetur. Quod si priuatiue vnam numero interpretentur, quod scilicet vna numero intelligi non possit, nisi formis priuata, id facile admittendum. At si ita priuatã non vnã numero, vt formam nimirum positiue esse velint, non admittendum. Id vero etiam eo potest intelligi, quod eam & priuationem numero vnum esse Aristotel. tradidit. Multo igitur magis si ipsa per se animo concipiatur, formarum quidem expers, sed tamen non hac, aut illa priuata, vnum quid numero ponenda est. Concedit etiam magis hoc aliquid eam esse, quam priuationem, quod nisi vna numero sit, quæ quoquo modo ostendi queat, verum esse non potest.

Materiæ vnitas, positiua, vtrum numeralis sit, an enti tantum synonima, materiam item nec genus, nec speciem esse, licet & specie, & genere vna dici possit.

Cap. XXVI.

SEd hanc, quam materiæ tribuimus, vnitatem numeralem esse, negant, verum enti synonimam, qua vnumquodq; vt ens est, ita & vnum. Nam quæ numeralis est a forma proficisci, quod materia per eam numeretur vnitatemq; accipiat. Quæ autem vt substantia ei conuenit, eam non numerari, sed mente tantũ concipi. Inde patere intelligentiam vnam numero non esse, causam

ſam item cur non ſit, quoniã ſcilicet in materia quanta non ſit. Hæc & alia huius generis ab alijs traduntur, quæ & a vero longius abſunt, & ipſi etiam Auerroi aduerſantur. A vero quidem quod materia vt principium vnum eſt, numeret ur, vnumque ſit actu principium, vt primo Phyſic. traditum eſt. Quæ autem vnitas a forma eſt, compoſiti ſit, quod vt eſſe, ita & vnitatem ab ea nanciſcitur. Nec ſi materiæ vnitas cum a formis re vera ſeparata non ſit, a mente dependet, idcirco numeralis non eſt, quin potius eo ipſo numeralis dicenda, q̃d ab anima, vt Auerr. etiam conceſſit, exiſtat, Quæ anima niſi eſſet, ne eſſe quidem, quemadmodum nec numerus omnino poſſet. Quod etiam Ariſt. quarto Phyſic. docuit. Illud vero cum Auerr. pugnans intelligentiam vnam numero non eſſe, quando eam talem magis (vt antea dictum eſt) cenſuit, quã res materiales, quia & qualitate, & quantitate ſit indiuiſibilis. Vnitas autem numeralis, quæ materiam quantam requirit compoſiti propria eſt. Quamquam & materia ex ſe quanta eſt, ſiquidem ex ſe infinita, & per interminatas dimenſiones extenſa. Vtrum autem hæc, de qua loquimur, vnitas enti ſynonima ſit, necne dubium eſt. Auicennas cenſuit eſſe, Auerr. non eſſe. Videtur vero nil impedire, quo minus ſit. Vnumquodq; enim ens, quatenus ens, poteſt numerari, eoque ipſo vnum numero dici. De qua re alias. Nec illud verum materiam per formam ab Ariſt. numerabilem dictam, vel etiam potentia. Imo per ſe forma ſecluſa vnam dixit, quę formis ſubiecta vna nõ eſt, ſed tot, quot formæ, quibus ſubijcitur. Non item generis vnitati materiæ vnitas ſimilis. Nã genus totum eſt vniuerſale, materia integrale, vt vocant. Quę igitur vnitatis ſimilitudo? Ac genus totum differentijs duabus, vel pluribus determinatur, totumq; a ſingulis participatur, a formis autem ſingulis materia non tota. Materiæ igitur vnitas numeralis dicitur generis non item, niſi quatenus genus numero vnum eſſe dicimus. Sunt autem multæ inter genus & materiam in quæſtionibus naturalibus ab Alexandro poſitæ differentiæ, quibus patet materiæ vnitatem

generis vnitati similem non esse, aut certe multo magis differentem, quam similē. Nec quæ in vtroque inest communitas, aliquid ad hoc confert. Nam præter id, quod dictum est generis communitas a materiæ communitate longe diuersa est, siquidem generis extra animam est, & in potentia, materiæ autem in anima cum priuatione coniuncta, quippe quæ communis est, vt formarum expers, earumque capax intelligitur. Sed quamquam materiæ vnitas generis vnitati non adeo similis sit, ipsaq; vna sit numero, genere tamen vna dici etiam potest. Maior namq; vnitas minorem semper infert. Vnde hæc materia ab ea, quæ vbi est, differre genere dicitur. Ac quomodo vna genere, ita etiam specie vtcunque conceditur, non aliter ac mundus, qui vnius numero cum sit, vnus item est specie, ac genere. Vnus item Sol numero, vna Luna, a quibus tamen nec speciei, nec generis vnitas remouetur; Dixi autem vtcunq; quod specificam formam non habeat, a qua hæc vnitas sumitur. Sed illud dubium, cum materiā primam genus esse negatum sit, nullæq; interea sint differentiæ, nūquid speciem esse possit concedi, vt quomodo specie vna, ita & species dicatur. Videtur autem species esse, quod multis numero differentibus communis sit. Nam quæ in aere inest materia ab ea, quæ in igne, numero differt, eodemque modo ab alijs eius portionibus. De quibus cum materia prima dicatur, species quædam esse videbitur. Aliud inquit Aristot. primæ philosoph. 12. tua materia, & forma, & mouens, aliud mea, vniuersali autem ratione eadem; Sed re vera species non est. Nulla enim per se species subsistit. Nam ideas Aristot. prorsus reiecit, vt quæ nullo modo per se possint cōsistere. At materia prima per se substantia est, & per se subsistit, hoc est non in aliquo alio, etsi per formam actu est. Species etiam partes habet subiectiuas, de quibus recto casu prędicatur, materia non item. Nam quæ eius partes sunt, quantitatis, seu integrales sunt, in quas diuisa est, de quibus partibus integrale totum non dicitur. Nec verum est, hanc materiam primam, quæ vna numero esse tradita est, de portio-

nibus

nibus dici; Sed de ea tum diuisa in partes,tum etiã continua & non diuisa materia dicitur,quod genus & quoddam, aut cum eo similitudinem gerit. De primæ autem materiæ portionibus materia prima enunciatur,non ea quidem, quæ in illas diuisa est,sed quæ in illis communis est natura,quæ affinitate quadam species nominatur. Nam re vera species nõ est,cum ex materia & forma,seu ex genere,& differẽtia non constet. Omnia enim hæc simplicia sunt,quæ modis suis circumscribuntur,differentijs essentialibus quadam proportione respondentibus. Hoc autem materiæ conuenit,quod totum quiddam sit homogeneum, quod in partes integrales cum diuiditur in subiectiuas etiam diuidi videtur. Nã cum illud homogeneum sit, eiusdem rationis partes erunt, quæ sub aliquo vniuersali comprehendantur. Sed illud vniuersale id totum diuisum non est, quippe quod a potentia sit, vt cætera vniuersalia,cum tamen totum illud actu esset, partibusq; actu constaret. Non est etiam totius vniuersalis eadẽ prorsus, quæ partium,ratio,vt totius integralis. Animalis quidem enim ratio speciebus omnibus conuenit, sed in earum ratione aliquid præterea continetur. Aquæ autem partis eadem penitus,quæ totius ratio. Materia igitur prima in se.i.informis considerata, totum integrale cum sit,species esse non potest. Illud autem non verum, quod a Zimara traditum est, eam vt in composito sensili est, & pars illius,vniuersalis rationem habere, & dici de pluribus. Illa enim in quocunq; insit,eadem semper manet,nec eius portiones in vno magis,quam in alio a cæteris differunt,magisq; etiam singularis, & indiuidui in compositis rebus, & sub formis habent rationem,quam formarum expertes. Quæ autem speciẽ differunt materiæ compositæ sunt,& secundæ,non primæ, cuiusmodi animalium, ac stirpium partes, quæ ab illotum primis diuersitatem accipiunt. De hoc materiæ genere,illud verum est,rerum specie differentium materias specie differre. Materia autem prima ,q̃ ad formas suas habilitatem habet, easque vicissim capit, vna & eadem est, eiusdemque rationis

in omnibus. Ita perspicuum euasit, quomodo nec genus, nec species, et si specie, aut genere vna dici possit. Quomodo item vna numero non priuatiue solum, sed etiam positiue, quatenus substantia est a forma diuersa, quæ esse substantiæ ab ea non capit, quatenus item illius subiectum & rerum naturæ principium. Nec ex Aristot. & Auerrois etiam multis dictis statui aliter posse, licet huius de positiua, & priuatiua vnitate distinctionis fuerit author numeroque vnam priuatiue duntaxat statuerit. Nec vero dicendum materiæ hanc vnitatem positiuam potentialem tantum esse, vt Gandauensis ait. Nam vt substantia, & materia actu est, licet sit potentia cætera, ita & vna actu. Dico autem actu, vt in se, & formarum expers consideratur. Alioqui actu in multas portiones diuisa est, & actu plures est, non vna numero. Quare si potentialem dixit, quia nunc vna re vera non sit, potentiaq; habeat vt vna sit, formis scilicet agnitione sublatis poterit concedi. Quemadmodum & vnam numero priuatiue esse, quod nullam formam sibi propriã habeat, a qua numeralis vnitas proprie sumitur. Sed tamen id in compositis non in simplicibus, aut etiam summis generibus locum (vt dictum est) habet. Sed dubitatur quomodo materia prima vt omnium formarum expers possit intelligi, quando ne cœli quidem materia, quæ actu ex se ponitur, id possit. Ab Auerroe enim secundo de orbis substantia scriptum est, materiã eam ab intelligentia non minus dependere quam motum. Ideo si intellectus absque intelligentia eam conciperet, futurum de illa, sicut de motu. Quare vt motus absque ea non remaneret, ita nec materia, quæ est orbis. Cum ergo illa actu sit, eaq; ab horum inferiorum materia, quæ est pura potentia, distinguatur, nec tamen absq; forma possit intelligi, multo minus poterit prima materia. Ad hoc dixerunt aliqui materiam illam nullo modo intelligentia priorem esse, ideo ab ea abiungi non posse. Primam autem materiam, quamquam simul cum forma sit, nempe ad eam relata, atq; etiã posterior, vt quæ ab ea in formæ genere esse accipit, in genere tamen

mate-

materiæ priorem esse,nec ab ea dependere,ideo animo ab ea seiungi posse. Sed hanc responsionem alij multis modis cõfutarunt, & recte quidem vt videtur, quod si cęli materia cũ hac nostra collata absque forma intelligatur,differentia nulla sit,si autem cum forma comparatio nulla,quod cætera paria non sint,siquidem materia prima absq; forma accipitur. Falsum item illud materiam illam nullo modo intelligentia esse priorem,quando per eam ad intelligentiæ cognitionem deuentum est. Quin & materia illa si actu sit,per formã actu est, a qua numquam separatur. Quamobrem dicendum vt materia hæc,ita & illam animo, & cogitatione a forma sua seiungi posse,& vt quædã substantia absq; ea considerari. Dico autem absq; ea hoc est,vt ea non informatur, licet ad eã, vt potentia ad actum habitudinem habeat,non ita tamen,vt formam illam aliquo tempore antecesserit, quomodo materiæ primæ potentia. Sed quamquam ipsa per se informis potest intelligi esse tamen absque forma non potest, quomodo nec motus,qui ab ea proficiscitur, atque hoc voluit Auerr. Quomodo autem cœlestis illa materia,cum æterna ex se sit, ab intelligentia dependeat,ita vt nisi illa esset,interiret, alias explicabitur. Vtraque igitur materia secundum esse a forma sua dependet,sed magis nostra hæc, quam illa, vt quæ magis potentialis sit,vtpote in vltimo gradu potentiæ. Vtraq; itẽ vt formæ expers intellectu apprehenditur. Cum autem expertem dico negationem solam intelligo, non priuationem, a qua materia illa penitus libera est.Sed ea,quę & cuiusmodi sit alias videndum.

* *
*

Mate-

Materiam primam dupliciter agnosci, neutro tamen modo per se.
Cap. XXVII.

Illud autem nunc quod superest doceamus, quemadmodum prima hæc, de qua agimus, rerum generabilium materia agnoscatur, menteq; seu intelligentia apprehendatur. Eius enim vis & natura cum potentia sit, admodum occulta est, vt vix, ac ne vix quidem subintelligentiam venire posse videatur. Omnis nãque intelligentiæ, ac cognitionis principium, & causa actus vnus est, vt in prima philosoph. traditum est, & mathematicis descriptionibus aperte demonstratũ. Eas enim, quamdiu potestate sunt cognitionẽ fugere, quæ in actum eductæ, ac sub hominum oculos positæ, a quouis earum, vel mediocriter perito facile agnoscãtur, veluti quod triangulus tres duobus rectis angulos æquos intra se habeat, descrip tione, quæ lateris vnius ductu posita est, agnoscitur, quod latus nisi ducatur ea, quam diximus, trianguli natura perspici facile non potest. Materia itaq; cum sit potentia, nec vllum actum sibi propriũ habeat, cognosci minime posse, merito potest videri. Admirandum tamen si quod rerum principium per se est, quod eis etiam definiendis adhibetur, cognitionẽ fugiat, nec a nobis queat apprehendi. Cum præsertim toties dictum sit, nos tũ opinari aliquid scire, cum causas & principia cognoscimus. Quin & illud quis miretur, tot de materia, quæ & qualis sit institutas disputationes esse, tot de ea explicatas quæstiones, nisi eius vis & natura apprehendi posset, & omnino a nobis agnosci. Quomodo igitur res se habeat, explicãdum, quidq; alij de hoc tradiderint docendum. Plato sine tangentis sensu eam tangi & adulterina cognitione vix apprehendi, vt alias docuimus, enunciauit. Quod perinde est ac si dixisset, eã per se, ac proprie non apprehendi. Nam & difficilem & obscurũ speciem eam dixit, inuisilem item & informem, quæ difficili me percipiatur. Tangitur autem eo, qui tangit, non sentiẽte, quia in omnibus insint quæcunq; tãgimus, aut apta sunt tã-

gi.

gi. Ac eam quidem in eis inesse nouimus, quamuis quid sit sentiri, aut intelligi vix possit. Censuit item materiam tantum cognosci, quia formis, quæ gignuntur necessario subijciatur. Quam cognitionẽ, quia per se nõ est, adulterinã nominauit, & veluti somnium. Formarũ etiã negatione eam agnosci in Timæo docuit, cum ait. Quo circa eius quod genitũ est, videriq; potest, & omnino sensu apprehendi matrem ipsam & receptaculum neque terrã, neq; aerem, neq; ignẽ, neq; aquã dicimus, nec rursus aliquid ex his constitutum, aut aliqua a quibus hæc constent, sed inuisilem speciem quandã, & informem, quæ omnia recipiat, & modo quodã ambiguo & vix explicabili diuinæ & ĩtellectilis naturæ particeps sit, ac per se comprehẽdi nullo modo potest. In Parmenide autem tradit materiam vnum esse, & nihil eorum, quæ sunt actu omnino, idcirco dissimilem similitudinem cũ prima causa habere. Similitudinem quidẽ oĩum quæ sunt negatione, quippe quæ, vt illa, nihil eorum sit, quæ esse statuuntur. Dissimilem vero, quod ob summã imperfectionẽ materiæ id tribuatur, primæ aũt causæ ob eximiã pręstantiã, vt inter ea, quæ sunt, minime veniat numeranda. Ob quã dissimilẽ simil tudinẽ in Timæo forte dictum materiã modo quodã ambiguo, & vix explicabili diuinæ, & intellectilis naturæ participẽ fieri. Hæc igitur Plato de materiæ cognitione. Arist. autẽ tum proportione, tum negatione cognosci eã tradidit. Proportione quidẽ ex rerũ artefactarũ materia, vt 1. Phys. legimus, vt quã rationem ad lecticã lignum, & ad statuã marmor obtinet, candẽ ad formas, quibus subijcitur, materia hæc habeat, proinde vt illa subiecta quædã sunt, ac potentiæ, quæ formis eis artificiosis subijciũtur, sic materiã primam quoddã naturalibus formis subiectũ esse natura sua informe. Negatione autẽ quod aliquid esse intelligatur, quod ex his oĩbus in rerũ vniuersitate spectantur, nec hoc sit, nec illud. Ita duplicem cognoscendæ materiæ modũ Arist. tradidit, quorũ neutro per se cognoscitur. Qua in re a Platone Magistro nõ discordauit, cũ hos ipsos fere modos antea ille docuisset. Dixi aũt neutro eorũ modorum

dorũ per ſe agnoſci. Nã quæ proportione eſt cognitio per ſe non eſt, vt quæ ex aliarũ cognitione dependeat, nempe materiæ artificioſę, & eius ad formã ſuã habitudinis. Quæ itẽ per formarũ, & oĩno eorũ, quæ actu ſunt, negationẽ eſt, per aliud eſſe, nec per ſe nemo non nouit, nempe per ea, quæ negãtur. Cũ aũt (vt dictũ eſt) admirandũ videatur, quod rerũ oĩum naturæ fundamentũ eſt, & per ſe principiũ, per ſe non agnoſci, diſpiciendũ vtrum ita habeat necne. Id vero fieri nõ põt, niſi quæ ſit per ſe aliquid intelligendi, & cognoſcendi rõ antea videamus. Nam de hoc controuerſia eſt, quo cõſtituto, quod q̃rimus perſpicuũ euadet. Auer. cenſuit intelligẽdi rõnẽ actũ eſſe, actum, ĩ quã, formalẽ, q̨ eſt quidditas, vt qđ actu nõ eſt, id ꝑ ſe ĩtelligi nõ poſſit; Quę Ariſt. in loco ex 1. phil. antea cõmemorato ſnĩa videtur. Eoq; nitũtuꝛ pleriq; ad hoc ipſum ſentiendũ, ac eã propoſitionẽ eliciunt. Intelligendi rationẽ actũ eſſe. Alij vt Io. Scotus entis, quaten⁹ ens eſt, cognoſcendi rõnẽ per ſe primo propriã eſſe voluerunt, vt quicquid eſt, quatenus eſt, apprehendi per ſe, & intelligi valeat. Nã & hoc mõ actu eſſe, ſiquidẽ eſt, nec potẽtia eſt. Actu aũt nõ formali, ſed (vt loquuntur) entitatiuo, quem materiæ & attribuunt. Quæ ſnĩa probabilis videtur. Nã ens, vt ens eſt, primæ philoſophię ſubiectũ eſt, per ſe ergo intelligitur. Quare & q̨cquid eius rõnis eſt particeps. Quinetiã intellectus oĩa põt fieri, quare oĩa intelligere, nec potior rõ eſt, cur magis ens vnũ per ſe quã aliud, ſi oĩa, vt entia ſunt, intelligit. Sed quãquam res ita habet, verior tamen, & Ariſt. magis conſentanea prior ſnĩa videtur. Verior quidẽ, quod mentẽ noſtrã mouere nil poteſt, quod aut ſpecies aliqua & forma nõ ſit, aut ea quoquo mõ informatũ. Protinus enim atq; aliquid intelligitur, ſpecie aliqua id præditũ videtur. Ex quo q̃ potentia intellecta dñr, quamdiu potentia permanent, intellectũ mouere nõ poſſunt. Indigent igitur intellectu agente, qui ea actu intellecta efficiat. Adeo actus intelligentiæ proprius eſt. Vniuerſitate etiam intellectus proprium eſt obiectum, qũo ſingulare ſenſus. Forma vero eſt, quæ vniuerſalis efficitur, vnde vniuerſalitatis

litatis subiectum ab Auer. vocatur. Arist. autem cōsentanea sententia hæc, quod materiam, quæ actus non est, nec actum in se includit, huius per se cognitionis expertem facit. Nec vero eo loco magnopere nitimur, qui ex 1. philos. antea est commemoratus. Namq; illic descriptiones ex actu inueniri docuit, non autem actum, omnia intelligendi esse rationem. Nil præterea ibi de actu, qui forma est, & quidditas, sed de energia, ex qua descriptiones inueniūtur, & inuentæ cognoscuntur. Eo vero potius nitimur, quod per formam omnia cognosci eiusdē operis quarto traditū est; Cum Protagoras, atq; Heraclitus reijciuntur. Hi.n. cum fluxum in rebus oībus continentem inesse existimarēt, ita vt eundē bis trāsire non liceret, nil vere cognosci posse affirmarunt. Aliter namq; & aliter perpetuo res affici, nec stabile quicquā de eis, & firmū aut intelligi vmquā posse, aut enunciari. Quam sniam Arist. refutauit, vt quantitatis quidē, quæ nunquam non augetur, aut imminuitur, merito cognitionē stabilem tolli concessit, verum formā manere, quæ cognitionis est causa. Ideo nullā esse necessitatem, cur rerū certa cognitio, aut scientia tollatur. Sed his (inquit) prætermissis ea dicamus, non idē esse, quantitatem mutari, & qualitatē. Secundū igitur quantitatem nō manet. Verum secundū formā omnia cognoscimus. Quasi diceret forma permanet, qua res cognoscuntur. Poterunt igitur sciri etiā si aliter mutentur. Formam aūt manere primo etiā de ortu traditur, cum de accretione differit, eāq; secundum formā, quæ permanet, enunciauit. Quod itaq; sua pte natura formam non habet, apprehendi per se, & intelligi nō pōt. Hinc res quæuis quo actus magis & formæ particeps est, & a materia, quæ potentia est, longius recedit, eo magis cognoscitur. Quod in partibus eterogeneis 4. meteor. ostensum est. Has enim quasi similares, & quæ eiusdē generis sūt; a materia longius abesse, & actus, seu formæ naturam magis participare. Arist. cum cerneret, magis etiam, quam illas dijiu dicari censuit, tales re vera, an nomine tantum dicātur. Quēadmodum quæ re vera est manus a manu nō vera facilius di-

stin-

ſtinguitur, quam quæ re vera eſt caro ab ea, quæ nomine duntaxat. His igitur & eiuſmodi alijs intelligi poteſt materiam per ſe agnoſci non poſſe. Propoſitione autem, aut negatione ſola intelligi, vt quæ ſecundũ ſe ignota ſit, vt 1. philoſ. 7. traditum eſt. Eæ autem materiæ cognitiones inter ſe differunt, quod in ea, quæ ex proportione eſt, comparatio eſt quædam, in alteram minime, & in ea quidem ſolam formarũ negationem intelligimus, in reliqua autem non formarũ tãtum ſua natura expertem materiam, ſed eis, aut ſubijci poſſe, aut iam ſubiectam. Eſt etiam illa a forma abſoluta magis, & libera cognitio, magiſq; etiam primi philoſophi propria. Quamquam non omnino a forma abſoluitur, nec eam per ſe nulla formæ habita ratione primus philoſophus (vt Zimara putauit) contemplatur. Perſpicuum enim eſt materiam ſi formarum negatione cognoſcatur, a formis ipſis abſolutam penitus non agnoſci, quamuis ab illis cognitio hæc aliter pẽdeat, quam altera. Quomodo enim formarum expertem materiam intelligat aliquis, niſi quoquo modo formas ſimul apprehendat. Nec ſine forma omnino materiam primus philoſophus conſiderat, vt qui poteſtate eſſe eam (vt antea docuimus) apprehendit, eſt autem potentia ad formam, ſed vtcunq; res habeat, ſeu per habitudinem ad formam, ſeu abſq; hac habitudine a primo philoſopho conſideretur, illud conſtat, præter ea a naturali agnoſci non poſſe, nec omnino per ſe apprehendi. Nec quod principium rerũ naturæ per ſe ſit, aliquid confert. Satis enim eſt, vt quomodo agnoſci poteſt, agnoſcatur. Quod etiam priuationi vſu venit. Non itẽ quod ens ſit, & actu materia. Nam intelligendi ratio actui, qui forma eſt, non autem entitatiuo tribuitur. Porro ens, quatenus ens, primæ quidem philoſophiæ ſubiectum eſt, & intelligitur, ſed per ea, quæ ſub eo comprehenduntur, quæque actus ſunt, aut actu, ex quorum intelligentia ad entis per ſe, vt ens, cognitionem aſcenditur. Illudq; falſum potiorem nullã cauſam eſſe cur vnum per ſe, aliud per aliud intelligatur, nam prout ſunt, ita intelligi apta ſunt. Et hæc quidem de materię cognitione.

FRANCISCI VICOMERCATI MEDIOLANENSIS DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM

Liber Secundus.

De naturali forma differendum esse, & quæ de ea quæstiones explicandæ. Cap. I.

De prima rerum naturæ materia, deq; ei adiuncta priuatione, ac omnino de ortus principiorum numero & vi, seu natura superiore libro disputauimus. Nunc de cæteris principijs agendum est. Ac primum quidem de forma, quę tametsi generantis causæ, atque etiam generationis effectus est, rei tamen genitæ principium ponitur, & inter principia, e quibus res constat, ab Aristotele numeratur. Deinde de efficiente, & fine, quæ in rebus quidem, quæ oriuntur, non insunt, sed tamen ad earum generationem necessario adhibentur. De forma autem hęc disquirenda. Quo in genere ea sit, substantiæ ne an qualitatis, an etiam alio quopiam. Atque si substantiæ vtrum potentia, an actus, an ex vtroque concreta, siquidem hisce substantia diuisa est, vtrum vna quædam, quemad

modum materia, communis sit, an plures? Quæ item eius vis,& conditio, quot genera, seu differentiæ. Rursus qua ratione,ac modo in materia gignatur,vtrum sponte,ac fortuito,nullaque efficientis causæ actione adhibita, an ab aliquo generante, & rei alicuius gratia. Vtrum item extrinsecus sumpta in eam mittatur,an de ea,cum inesset,eliciatur. Atq; si elicitur,vtrum actu in ea inerat,& latitabat, an sola potentia, e qua eliciatur, & in actum ducatur. His fere capitibus tota de naturali forma disputatio continetur. Nam de forma in genere,eiusque omnibus differentijs, ac generibus ad tractationem de causis in genere,& communiter disserere attinet, quod nos libro ad hoc dicato præstamus. Vbi non naturalium solum,sed artificiosarum, atque etiam diuinarũ formarum ratio omnis explicatur,quæstionesque illæ expenduntur de indiuiduationis (vt loquuntur) principio,vtrum forma sit,an materia, an aliud quidpiam,item de essentia, & quidditate, & omnino ea,quæ formæ in se, & communiter conueniunt. Quemadmodum,& id,quod antea dictum est, & superioris etiam libri initio attigimus, non esse eam vere principium,sed effectum potius,& vt Plato dicebat,prolem. Quod non ad naturalem solum formã attinet, verumetiam ad artificiosam. Porro naturalem naturalis considerationis propriam esse, & quemadmodum a diuino etiam explicetur, quæve sit harum considerationum differentia antea traditum est. Nunc igitur ad ea, quæ proposita sunt,disquirenda,& excutienda, ea, qua instituimus, methodo aggrediamur, Platonis, & Aristotel. dogmatibus inter se collatis, atque ad veritatis examen reuocatis.

Natu-

Naturalem formam, vt Arist. tradidit substantiam esse, non qualitatem, aut aliud quid, vt veteres censuerunt.
Cap. I I.

PRimum ergo videndum quo genere forma concludatur, vtrum substantia sit quædam, an materiæ potius qualitas, & affectio, atq; omnino accidens aliquod. Controuersum enim hoc videtur. Nam & veterum complures in accidentiũ numero eam locarunt, nec paucæ sunt, & illæ quidem non infirmæ rationes, quibus id colligatur. Veteres quidem physici cum totam rei naturalis naturam eam, e qua constaret, materiam esse existimarent id omne, quod reliquum in ea inesset, eius habitus, & affectiones censebant. Ita earum copulationem & quẽdam veluti rhythmum, & concentum cuiusq; rei formam esse putarunt. Ad id etiam impulsi, quod qualitatibus suis & habitibus vnaquæque res noscatur, & ab alijs distinguatur, quæ duo formæ propria sunt, & ei ab omnibus tribuuntur. Noscitur quippe, vt antea tradidimus, vnumquodque per formam, & a cœteris seiungitur, seiunctumque, ac diuersum esse intelligitur. Quo autem ducti argumento totam rei naturalis substantiam, & naturam materiam esse crediderint in secundo Natur. Auscultat. Aristot. explicauit, quod videlicet subiectum solum, ac materiam permanere sibiq; etiam simile procreare existimarent, formam vero omnem oriri, & occidere, nec sibi simile aliquid efficere. Nec enim si Lectica fuerit deffosa, lignumque cum putruerit lecticam alteram gigni, sed lignum. Hoc ergo veterum de rerum naturalium formis decretum fuit. Quæ fortassis causa eos mouit, vt in principijs formam non ponerent, sola materia contenti. Accidens igitur formam esse non substantiam posuisse eos apertum est. Quod dogma hisce etiam rationibus potest firmari, quod forma in subiecto, scilicet materia, vt accidens in-

hæreat, nec ꝑ se cōsistat. Quod item contrarium habeat, & & aliqua intendatur, & remittatur; Quæ omnia accidentiū ac qualitatum potissimum sunt propria, atque a substantiæ natura aliena. Nec enim forma ipsa per se absque subiecto, vt materia, consistit, nullaque est in aliquo naturali corpore, quæ non alteri quoquo modo aduersetur. Quod in elementis primum ipsis, quæ contraria esse ipse etiam Aristot. fatetur constat. Deinde in lapidibus, quorum vires tum inter se, tum multis alijs rebus aduersas quotidie experimur. Maxime vero in stirpibus, quarum nonnullæ sese adeo oderunt, vt iuxta sese satæ, aut intereant, aut certe ad frugē non veniant. Quod de quercu, & olea traditur, de brasica item & vite, & alijs multis similibus. Oleum etiam omnibus, quæ feruntur, plantis inimicum est, ita vt quæcunque eo peruncta fuerit, arescat, & moriatur. In animantibus ipsis eorūq; substantia graues pugnæ cernuntur, nec in illis solum viuis, sed eorum etiam carnibus, pellibusque detractis, vt de tympanis, de ouina, & lupina pelle fabricatis proditum est. Nam quæ ex ouina pelle constant, rumpuntur, si aliud ex lupina constans pulsetur. De qua rerum naturalium inimicitia, & contrarietate, quæ antipathia dicitur, a plerisque multa sunt tradita. Ea autem ex materia, quæ vna omnibus inest, & omni contrarietati subijcitur, prodire non potest. Ad formas igitur merito refertur. Nam si ex diuerso temperamento existit, formarum elementarium ratione diuersum est, non materiæ primæ, quæ vna omnium est elementorum, quāquā & hæc repugnantia, atque antipathia in temperamētum vix potest referri. Consequitur autē magis eorum formas, quod esse non potest, nisi & illę inter se repugnent. Intendi vero & remitti naturalium corporum formas in compositis, & mixtis primum patet, cum vnum hominem rationis magis, quam alium, cœterorumque item animalium aliqua magis, quam reliqua sēsus participia videamus. Tum vero maxime in simplicibus, & elementis. Hæc enim admisceri inter se non possent, nisi eorum formæ intensiores fierent, & remissiores.

Nam

Nam vim suam summam retinétibus mixtum nullum ex eis existeret. His itaque rationibus naturalem formam substantiam non esse, sed accidens potest monstrari. Sed in elementorum formis hoc maxime ostenditur. Quæ cum calor, & frigus, humor & siccitas ab Aristotele, Alexandro, Galeno, alijsque multis statui videantur, nec omnino aliæ in eis spectentur, quæ verius formæ esse possint, hæcque in accidentibus aperte numerentur, formas accidentia esse relinquitur. Aut si quæ commemorauimus in elementis substantiæ sint, efficietur, vt quod in vno accidens est, in alijs substantiæ habeat rationem, quod & absurdum est, & Aristot. doctrinæ contrarium. Hæc igitur ad veterum dogma stabiliendum. Plato autem de re hac aperte nil tradidit. Idearum tantum & exemplarium imagines, quæ in materia gignantur, formas esse voluit, ab ipsis ideis profectas. Aristoteles vero quæstionem hanc pertractauit, & formam substantiã esse docuit, ac verius etiam & magis proprie, quam materiam. De cuius & Platonis opinione in libro de Dogmatibus egimus. Controuersa igitur res hæc cum videatur, nec paucioribus, aut infirmioribus, immo vero validioribus, & pluribus Aristot. quam veterum sententia firmetur, quid hac in re statuendũ videamus. Verior autem Aristot. quam veterum sententia videtur. Quod quidem his rationibus potest doceri. Quod naturalis corporis forma sit, quod item materiæ, quam informat, ac magis etiam cõposito, vt existat, & a cæteris omnibus essentia differat, impartiatur, quod rursus naturalis simplicisq; generationis sit finis; Quod tandem vera ac propria cuiusque rei natura censeatur. Nec enim naturale corpus, quod substantia est, partibus, quæ substantiæ non sint, constare potest, nec quod, substantia non est, causa esse potest, cur substantia consistat, nec item substantiæ essentia, & ratio, qua sit, & a cæteris differat vmquam dicetur. Ortus præterea simplex in substantiam desinit, hocque nomine, cæteris mutationibus differt. Quin & substantiæ natura, quæ motionum eius principium est, & causa aliud a substan-

tia esse non potest. Quàm vero absurdum sit, corporis natu ralis, quod substantia maxime est, partem præcipuam accidens facere. Nec enim vt e non corpore corpus fit, ita e non substantia substantia. Corporis namque partes non necessario corpora sunt, sed altera potentiæ, altera actus rationē habeat, satis est. Substantiæ autem partes in substantiæ genere esse debent, nisi accidens substantia prius ponatur. Cuius contrarium Aristot. docuit, qui ortu natura, & ratione substantiam accidentibus facit præire. Forma etiam accidens si sit, ex ea & materia vnum per se non erit, nec sine corporis forma, quæ ex genere substantiæ sit, corpus omnino existet. Illa autem in naturalibus formis, vt genus in specie, inest, vt antea tradidimus. Nec vero formam naturalis corporis partem esse, aut ei, vt sit, & consistat, impartiri aliquis neget, quod formæ omnis, seu naturalis, seu arte constantis communia hæc sint, quæ tamen artis formę in accidentibus numerantur. Nā si hæ accidentia sunt, ea quoque, quæ arte constant, qua ex parte talia sunt, eodem genere continentur. Hisce igitur rationibus naturalem formā substantiam esse ostenditur. Sed eas probabiles tantum, nec necessarias, aut demonstrantes aliqui existimant. Primum enim formam partem quidem rei naturalis esse, id secundum qualitatem, quæ veterum sententia substātiam non infert, quod causa generans perfectionem tantum, quæ qualitas dicitur, non multitudinem tribuat. Differentiam item, quæ a forma sumitur, rei, quę pars est essentialis, qualitatem primę philosophiæ quinto ab Aristot. numerari. Illud vero non concedendum a forma rem accipere, vt sit, quin potius materiæ, quæ permanet proprium id esse. Formam vero eius qualitatem & affectionem quandam, qua a cœtetis res differt. Nec id quidem cogere, quod generationis simplicis terminus sit. Nam adueniente hac qualitate in materia compositū perfici, actuque fieri. Cum antea esset potentia, & quæ tantum erat materia hanc perfectionem accipere. Vera item ac propria cuiusque rei natura perfectio hæc esse potest, quamquā sub-

ſubſtantia non eſt. Nec quod motus principium ſit, vt ſubſtantia ſit, efficere. Nam motum localem rectum in grauitatem tantum & leuitatem aliqui referunt, quæ accidentia eſſe nemo non nouit. Cœteros item motus, vt alteratio a calore, & frigore, quæ ſunt qualitates, proficiſci. Quin & in animatis motum omnem a qualitate exiſtere, cum ſit ad animum, quæ temperamentum eſt quoddã. Nec ſi forma ſubſtantia non eſt, idcirco id, quod ſit, aggregatum eſſe ex accidenti; nam qualitates quidem formas eſſe, ſed inſeparabiles, & quæ ſubſtantiæ modum, ac rationem habeant, quippe quæ nequeant, niſi cum compoſiti interitu ſeparari. Quomodo anima a ſubiecto corpore non ſeparatur, ſed eſſe deſinit, eaque intereunte anima interit. Quemadmodum enim per formam illam, quæ perfectio eſt, eſſe accipit, ita illa deſinente, deſinere. Hoc vero cœteris qualitatibus, quæ ſeparãtur, minime contingere. Eas enim non deſinente ſubiecto, deſinere, nec ſubſtantiæ modum habere, ideo ex eis, & ſubiecto concretum ex accidenti exiſtere. Illud adijciatur admirãdum videri, ſi quæ arte conſtant, accidentia ſint, vt poſtrema ratione concluſum eſt, cum ex ſubſtantia naturali, nimirum materia exiſtant. In huius ſententiæ confirmatione additur, mixtorum formas temperamentum eſſe, quo a cæteris rebus differunt, nomenque, ac definitionem nanciſcuntur, vt in auro, & cœteris metallis patet, quæ non re alia vlla, quã temperamento inter ſe diſtinguntur. Nec aliter in ſtirpibus rem ſe habere. Earum namque vitam & animam temperamentum eſſe, quo nutriuntur, creſcunt, & generant. Augeri item calido, quo etiam oriuntur, & viuunt. Senſum etiam, qui in animalibus forma, eſt quandam qualitatũ temperiem eſſe, animaliaque ipſa a ſtirpibus temperie illa differre, quod ad ſiccum, vt illæ, non adeo declinent. Hoc vero & Hippocratis, & Galeni dogma eſſe. Intelligere item & velle in hominibus a perfectiſſimo temperamento exiſtere. His igitur & ſimilibus rationibus, ac dictis ea, quæ pro Ariſtot. dogmate allata ſunt, videntur labefactari, idque quod vete-

rum esse dictum est, confirmari. Sed qui horum dictorum, ac rationum vim expendit, adeo exiguam, ac imbecillam intelligit, vt rationibus pro Aristotelis sententia commemoratis robur potius, ac momentum addant, quam eas infirmēt, ac labefactent. Quamobrem Portius non recte de eis iudicauit. Nam quod dicitur formam secundum qualitatem partem esse, si qualitas, vt genus a substantia diuersum proprie sumatur, a vero abest. Nec talem qualitatem differentiam essentialem Aristot. nominat. Qualitatem vero substantialem, vt a genere distinguatur, quo quid potius, quā quale, significatur. Quomodo & materia, si cum forma confertur. Nam cum eius perfectio forma sit, qualitas quædam videtur. Sed qualitas non est ex qualitatis genere, verum substantialis, quædam scilicet substantia qualitatis speciem referens. Quæ cum eiusmodi sit, nulla, cum gignitur, multitudo a generante existit, sed sola materiæ perfectio, & per eam concretum, quod generari proprie dicitur. Multitudo autem a generante esset, si ipsa per se forma non in materia, vt eius perfectio gigneretur. Porro a forma, non a materia rem quamque vt sit, accipere adeo notum est, & omnibus confessum, vt in controuersiam verti non debeat. Nam materia cum sit, res tamen nondum est, nisi forma accedat, quæ materiæ qualitas quidem vocatur, sed vt dictum est, substantialis. Idcirco & per eam a cœteris seiungitur. Quod a materia esse non potest, quæ vna omnium eadem est, & cōmunis. Non solum igitur a communi rerum omnium principio res quæque essentiam suam ducere non possunt, sed nec differentiam vllam substantialem, qua a cœteris distinguantur. Quod autem ortus simplicis terminus forma sit, tantum abest, vt eam substantiam esse non doceat, vt re alia nulla magis possit ostendi, nec enim sola qualitate ad materiam accedente compositum perficitur, sed formæ beneficiū potius hoc est, & eius quidem, quæ substantia sit, & ita substantia, vt per eam compositum existat. Quo autem simplex ortus a non simplici, & secundum quid magis differat, quam

quod

quod in substantiam desinat, non simplex & secundũ quid in qualitatem, aut aliud genus? Quod si in compositum desinit, id formæ acceptum fertur, non materiæ, quæ antea prę erat. Illud minime concedendum veram, ac propriam cuiusque rei naturam formam posse esse, quamquam forma substantia non sit. Quod perspicuum maxime fiet, cum de natura differetur, eoque etiam nunc potest intelligi, quod rei natura aliud nil proprie sit, quam eius essentia. Quod & Latini authores forte animaduertentes, quam essentiam nos aut substantiam dicimus, naturam appellant. Motus autem principium, ac primum efficiens præter substantiam nil esse potest, ac quicquid mouet, quod substantia non sit, id primum non est, sed instrumenti, ac secundi mouentis habet rationem. Quomodo calor in animalibus, grauitas & leuitas in simplicibus. Ideo veteres secundo de ortu Aristot. recte arguebat, quod instrumento tantum, primis scilicet elementorum qualitatibus, posito, causam veram & primam, nimirum naturam & formam prętermisissent. Secundo de Anima Empedoclem separatim, quod stirpium, & omnino animantium accretionem calori vni tribuisset, nulla animæ, quę motum cum primo efficit, facta mentione. A re igitur natura, eius quæcunque sit, naturalis motio proficiscitur, nilq; aliud proprie natura est, quam eius motuum omnium principium. Quæ cum rei essentia sit, nisi substantia esse non potest, cum præsertim primum sit, seu principium, quod substantię proprium est, quæ alia omnia genera modis omni[illegible] antecedit. Animam autem temperam[illegible] babile multis visum est, a vero tamen tam lon[illegible] longius. Nec Hippocratis, aut Galeni hac [illegible] nos mouet, quando & pugnantia sæpe tradid[illegible] temperiem, seu crasim, nunc cœlestem calorem, [illegible] quid animam esse arbitrati. Sed de hoc in tractatione de Anima. Quod autem qualitas separabilis substantiæ modũ habens forma ponatur, non tollit, quo minus ex ea, & materia concretum per accidens existat. Quomodo ex igne, &

calore, tametsi calor seiungi ab eo non intereunte, non potest. Quin & forma a materia remanente separatur, estque materia eius subiectum, non quod ex ea, & illa concretum est, Inseparabilitas igitur nil confert. Omnino enim si accidens forma sit, cuiuscunque accidentium generis sit, materiæ proprius actus non erit, quare per accidens quiddam ex vtroque existet. Ac cum materiæ natura potentia sit, quomodo actu omnia fiet, si qualitas tantum inseparabilis forma statuitur? Arte autem constantia cum nisi ex materia naturali esse possint, quatenus ex ea constant, ad substantiam attinent. Sed cum ex forma res quæque sit, & nominetur, & in genere ponatur, in accidentibus quodammodo numerantur. Nec omnino artefactorum, & naturalium eadem est ratio. Illa enim a naturalibus materiam mutuantur, hæc ex propria, & natiua constant. Nec forma vlla, quemadmodum nec anima, temperamentum est, aliquod est, sed ex temperamento in mistis existit, idque consequitur. Nam elementis ita inter se temperatis auri forma, aut argenti oritur, quæ forma eorum ita mistorum entelechia est, non autem temperamentum. De qua re in progressu, cum cuius generis substantiæ forma sit, explicabitur. Quæ ergo antea pro Aristoteli dogmate allatæ sunt rationes vim suam & firmitatem retinent, nec aliorum solutionibus, aut rationibus ullo modo labefactantur.

Quare perspicuum remanet formam substantiam esse.

* * *

Ratio-

Rationum, quibus formam substantiam non esse antea ex veterum sententia collectum est, solutio.
Cap. III.

Reliquum est, vt quæ contrarium videntur docere rationes diluantur, nilque relinquatur, quod huic dogmati, formam scilicet naturalem substantiam esse, officiat. Ac primum quidem dicimus, si materiæ, aut subiecto, quæ accidentium natura est, forma inhæret, nec absque ea per se consistit, non idcirco a substantiæ genere excludi. In materia enim, non vt accidens, inhæret, sed vt actus inest in eo, quod potentia est: e quibus duobus vnum per se potest existere, quod e subiecto, & accidente non potest. Plurimum vero interest vtrum aliquid in aliquo, vt in subiecto accidens insit, & vt forma in materia. Accidentis enim subiectum antequam id accipiat, actu sit oportet, nec vt sit, ei acceptum refert, aut ab eo aliquo modo adiuuatur. Materia vero ante formæ receptionem potentia tantum est, non actu, vt quæ existat a forma accipit, quamquã ens ab illa diuersum est. Quod si accidentia sunt quædam, quæ corporibus, in quibus vt in subiecto insunt, ita vt sint conferant, vt sine eis esse non possint, cuiusmodi figura & color, non ita tamen conferunt, vt forma. Nam vt subsistant quidem aliquid efficiunt, sed non vt hoc aliquid sint, quomodo forma materiæ conducit. Nec enim materia ante formæ aduentum hoc aliquid esse aliquo modo dicitur. Non igitur, vt in subiecto accidens, in materia forma inest, sed vt perfectio in perfectibili, & quemadmodum diximus, actus in potentia. Quo quidem modo illud Aristot. in secundo Physicorum naturam in subiecto semper esse intelligendum. Multa autem quæstionum naturalium libro primo de re hac Alexander. Ac nec forma formæ contraria est, quod substantiæ contrarium nil esse Aristotel. doceat, idque optima ratio-

ratione,quoniam ſcilicet contrariorũ omnium ſit recipiens, vna eademque nnmero cum ſit. Nam quod de ſubſtantijs concretis Ariſtot. locutum, ac ſubſtantias, quæ vt formæ di cuntur, inter ſe aduerſari Alexander tradidit, difficultates quidem multas tollit,ſed Ariſtot. decretis alijs quemadmodum conſentaneum ſit doceri vix poteſt. In ſubſtantia enim motum nõ eſſe præter cæteras rationes hac monſtrat, quod contrarietas in ea non inſit. Quæ ratio efficax non erit, ſi ſubſtantiæ tantum compoſitæ, non item formis contrarietas negetur. Nam vt in ea motus inſit,formarum contrarietas ſufficiet, quomodo & in qualitate ſatis eſt affectiones eſſe contrarias,ſi motus ei tribui debeat.Præſtat igitur vt non ſubſtantijs ſolum concretis,nec materiæ, aut ſubiecti tãtum ratione,ſed formis etiam, earumque merito ſubſtantiæ contrarietatem negatam dicamus. Præſertim quod quicquid res eſt,id omne a forma accipit,nec fieri poteſt, vt contrariæ inter ſe ſint formæ, quinetiam compoſita earum ratione ad uerſentur. Quæ autem formæ, aut ſubſtantiæ contrariæ videntur,contrariæ non ſunt,ſed earum proprietates,& vires, ſeu qualitates,quas contrarias eſſe nil impedit, tametſi ſubſtantiæ,in quibus inſunt,nulla inter ſe pugnent contrarietate. Nec ſi proprietates,& vires ſubſtantiarum, formarumq; potiſſimum effecta ſint,ideo efficitur, vt quemadmodum illæ,ita & hæ inter ſe aduerſentur. Nam quod dicitur contrariorum contrarias cauſas eſſe, in cauſis ſolum agentibus locum habet, quo cauſæ genere ſuarum proprietatum ratione habita ſubſtantiæ, aut formæ non continentur. Quæ enim formam conſequuntur ab eo,a quo & forma ortum habet. Ignis itaque calor ab eius ſubſtantia efficienter non gignitur, ſed ab eo qui genuit. Eius autem formam vt proprietas inſeparabilis neceſſario conſequitur,& ab eius ſubſtantia, vt a materia dependet. Quæ ergo naturalia corpora commemorata ſunt, contrarios effectus gignentia inter ſe ſubſtantiæ ratione non aduerſantur, ſed viribus tantum contrarijs & pugnantibus prædita, quas a natura generante acceperunt.

Quod

Quod autem de ea, quæ in formis inesse videtur contrarietate dictum est, ad intensionem etiam & remissionem accõmodetur. Nec enim substantiarum formæ intenduntur, aut remittuntur, sed earum vires & qualitates, quarũ etiam vi, ac merito vicissim agunt, & patiuntur, atque inter sese admiscentur. Nam si substantiarum aliquarum formis intentio & remissio tribui debeant, elementaribus maxime, vt diximus, sunt tribuendæ, elementa enim temperari, & inter sese ad reliquorum procreationem oportet admisceri. Quæ temperatio, ac permixtio exquisita fieri videtur, non posse, nisi eorum retusis quodammodo formis, & ad quãdam virium mediocritatem adductis. Ita eas retundi, & in permistione necessario remitti Auerr. existimauit. At ne illæ quidem fortasse vere retũduntur, aut remittũtur, sed qualitates eis adiũctæ, per quas & temperantur proprie, & admiscentur. Nec si qualitates absque formis retundantur, & remittantur, efficitur propterea, vt omnino remitti, & in nihilum tandem formis superstitibus redigi, ad quod incommodum ille ducit, valeant. Ita enim, vt infert, caloris expers ignis tandem relinqueretur. Sed id verendum non est. Ignis etenim forma certum caloris gradum requirit, sine quo consistere nõ potest. Vbi ergo remissior, quam illa exigit, factus est, perit illa necessario, nec vlterius consistit. Sed elementorum formis intensio in permistione, aut remissio quamquam concederetur, non idcirco alijs formis concedendum. Alterius namq; quodammodo esse videntur, vt in disputatione de elementis, & eorum permistionis ratione docebitur. Illud autem quod magis videtur vrgere, & cuius longior disquisitio ad alium locum magis attinet, breuiter tradamus, quonam modo substantiarum aliquarum formæ accidentia non sint, si calor & frigus, humor & siccitas elementorum formæ sunt, vt Alexander, & Galenus aperte docuerunt, & Arist. tradere videtur. Alexander enim in primo de Anima, calidum & siccum, & ab eis genitam leuitatem ignis formam, & speciem facit. Aristot. autem in secundo de ortu, qualitates primas ele-

mentorum facit principia,& ex eis, ac materia ea constituit, vt ignis nil sit,nisi materia calore,& siccitate informata,& ita in cœteris.Quod dogma tum alibi,tum in primo de elementis Galenus probauit. Vtrum igitur elementorum substātiales formas accidentia esse affirmabimus,an hæc,quæ commemorauimus,& in mixtis corporibus accidētia esse nemo dubitat,in illis substantiam esse,quæ in mixtis naturam mutēt, & in aliam adeo diuersam transformentur ? An quoniam vtrumque absurdum est, & ab Aristot. placitis alienum has elementorum qualitates eorum formas potius negabimus, nec Aristot.quicquid Alexander cēsuerit,dogma hoc tribuemus? Nam quamquam difficile est in aliam sententiam eum trahere,cum nullas alias elementorum formas, nulla præter has, & materiam eorum principia statuat, eorumque etiam numerum ex earum numero conficiat, quoniam tamen nullis eius placitis dogma id aduersatur,qualitates eiusmodi elementorum formas esse eum statuisse negandum est. Vt interim mittatur,fieri non posse,vt aut substantiæ pars accidens sit,aut quod vni substantia est,alteri accidat,quorum tamen alterum necessario consequeretur. In secundo autem de ortu,cum sensilis corporis principia quæreret, ea, quæ sub sensum cadunt,qualitates nempe commemoratas cōstituit.Formarum autem , quæ vere sunt,cum sensiles non essent , non meminit,eoq; præsertim,quod explicari facile non possent, ac in quibus formæ,ac differentiæ propriæ cognitæ nō sunt, earum qualitates,& proprietates præcipuas satis sit adhiberi. Quod ad Alexand. attinet, elementorum qualitates eorū formas tametsi faciat,formam tamen substantiam esse, eoq; nomine ab artis forma differre confessus est.Quare(inquit) ea species, quæ ab arte est, substantia nullo modo est,vt nec ars ipsa. Forma vero,quæ est a natura, proculdubio substantia est,vt & natura. Et paulo post,quamquam non potest ipsa forma per se seorsum a materia separata consistere, vtrāq; tamen substantiam esse non dubitamus. Nam sicut materia, ita & naturalis forma substantia est,partes enim substantiæ,

ſubſtantiæ ſunt. Hæc igitur Alexander. Quæ cum ita ſe habeant,ſatis ad ea reſponſum videtur, quæ pro veterum dogmate confirmando antea allata ſunt. Nec vero qualitatibus ſolis & habitibus rem quamquã noſci, & a cæteris diſtingui recte cenſuerunt. Nam quamquam hæc ab his interdũ profi ciſcantur,formæ tamen potiſſimum ſunt tribuenda.Quin & cognitio,quę ex qualitatibus ſolis,aut habitibus eſt,eſſentialis non eſt,ſed accidentalis tantum,qua nec rei natura plane agnoſcitur, nec quemadmodum ab alijs omnino diſtinguatur. Quod autem vnam materiam naturam rei eſſe putarint, id a vero abeſt,quam longiſſime,& leuiſſimo argumento, qđ ab Ariſt.ſolutum eſt,nitebatur.Nam nec permanentia ad rei eſſentiam & naturam aliquid confert,nec materia eſt,quę ſibi ſimile procreet,ſed forma,aut compoſitum per formam. Rurſus pro veterum dogmate firmando aliquis obijciet, formam(vt dictum eſt)perfectionem eſſe,ac in perfectionis genere ab Ariſt.locari, quæ perfectio qualitas quædam cum videatur,forma ſubſtantia non erit; Cui dicendum perfectionem omnem qualitatem non eſſe,ſed eam tantum, quæ rei iam genitæ,actuq; eſt aduenit,quomodo ſcientia animæ perfectio eſt,ac rerum ſenſilium apprehenſio ipſius ſenſus. Quæ autem generationis complemẽtum eſt,& ad id,quod potentia tantum eſt,accedit, ac niſi accedat genita res & abſoluta dici non poteſt,illa quidem certe ſubſtantiæ genere,ſi res naturalis, aut ſubſtantia gignitur continetur, tametſi qualitatem veluti quandam ſignificare videatur.In rebus autem artefactis eadem hæc ineſt perfectio, quæ tamen abſolute ſubſtantia non eſt,ſed ipſarum tantum rerum artefactarũ. Hoc modo entelechiam,hoc eſt perfectionem Ariſt. formam vocauit. Quod vocabulum quamquam formis,quæ ſubſtãtiæ ſimpliciter non ſunt,vt artificioſis etiam conuenit,illis tamẽ aptatur,quatenus rerum earum eſſentiæ ſunt quędã. Quod quoniam ad quæſtionem ſecundo loco de forma propoſitam,vtrum actus ſit,an potentia,attinet,ad eius iam examen veniamus.

Formam, entelechiam, seu actum esse, cumque simplicem, & omnis compositionis in ipsis etiam mistis corporibus expertem.
Cap. IIII.

CVm igitur constet formam substantiam esse, non qualitatem, aut simile quid, vt veteres voluere, ac substantia trifariam diuersa sit, in actum potentiam & concretum, ad quod horum forma attineat, videndum est. Nam quamquam eius vim inspicienti actum esse perspicuum est, & in actus genere ab Aristot. fuerit reposita, aliquot tamen rationibus validis dogma hoc videtur oppugnari. Perspicuum autem dico, quoniam quod potentia dicitur, materia est, quod ex illa & actu concretum corpus. Quamobrem si forma, nec materia est, nec corpus, nec potentia profecto esse potest, nec ex ea, & actu constare. Actus igitur sit, necesse est, aut substantia trifariam diuisa recte non erit. Actum autem dicimus, quòd entelechiam. i. perfectionem; nec enim commodius verbum id Græcum verti potest, Aristot. nominauit. Ex aduerso enim potentiæ, quæ imperfecta est, entelechia est, ipsiusque formæ vim, ac naturam, vt materiæ potentia declarat. Et vero ἐντελέχεια perfectio siquidem ἔντελες perfectum significat, quasi ἐν τῷ τέλει hoc est in fine, quæ rei cuiusuis perfectio est, cõsistat. Vnde & τελειότης perfectio dicitur. Nihil autem perfectum est, nisi per formã, quæ antequam ad materiam accedat, quædam rei duntaxat in materia inchoatio habetur. Quo argumento Aristot. vtitur, cum rei naturam formam esse, ac verius, quam materiam contra veteres demonstrat. Forma ergo in entelechiæ, seu perfectionis non minus, quàm materia in potentiæ genere recte statuitur. Ac entelechia quidem, quomodo scientia, non vt contemplatio dicitur. Ea namque sublata id, cuius forma erat, non manet, nisi forte æquiuocè, quod si vt contemplatio tantum perfectio esset, minime contingeret. A

con-

contemplatione enim cessare quiuis potest scientia permanente, & nullo incommodo, quod ad eam attinet, affectus. Sed potentia quædam, aut compositum, non actus solus forma esse alicui fortassis videbitur. In his enim quorũ plures sibi succedentes sunt formæ, altera alteram excipit, vnaq; alterius potentia est quædam. Vt elementorum formæ cum inter se admiscentur mixtionis formam accipiunt, hæc partis similaris, vt carnis, & ossis, & aliarum, quæ inter se coniunctæ dissimilari, vt potentia, subijciuntur. Ac vt omnino dicam, cum in animalis corpore multæ sint formæ, aliæ priores, aliæ posteriores, quæ antecedunt, posteriorum habita ratione potentiæ quædam videntur. Quin & segregatrix, seu altrix anima sentientis potentia est, & hæc intelligentis. Potentia igitur quædam forma erit, aut eius certe particeps, nõ solus actus, aut perfectio. Quid quod non actus solum, aut potentia videtur esse, sed ex vtroque potius concretum, aut ex pluribus actibus, quorum alij potentiæ habeant rationẽ? Nam vt simplicium simplices sunt formæ, ita compositorũ compositas esse ratio suadet. Quod in primo etiam de Anima Alexander tradidit. Simplicia enim corpora, quorum subiectum simplex est, simplicem quoque speciem & naturã, quæ vnius motionis principium sit, adepta esse. In quibus autem non simplex subiectum est, sed corpus aliquid siue compositum, in iisdem speciem & formam ornatu, distinctione & compositione esse perfectiorem. Hæc igitur entelechiam, seu actum formam non esse, sed potentiam, aut compositum ostendere videntur. Sed ad ea dicendum, corporũ, quorum plures sunt formæ, quæ successione quadam altera post alteram adueniunt, priorem quidem posterioris semper potentiam veluti esse. At dum id euenit, materiæ cuiusdam vna cum subiecto, in quo insunt, obtinent rationem. Quo sane modo elementa mistorum corporum materia dicuntur. Nec enim res mistæ ex sola elementorum materia, vt ex subiecto constant, sed ex ipsis integris elementis inter se cohærentibus, & cõfusione quadam admistis. Nec absurdum est, rei

minus

minus perfectæ formam, cum materia, cuius forma est, perfectiori formæ, vt materiam, subijci, idque potissimum cum alteri admiscetur, eorumque coitus fit quidam. Sed est intelligendum tota elementorum corpora rei compositæ, & mistæ subiectum esse, non solas formas, quæ ipsæ per se rei nulli possunt subijci. Nec aliter de fœtu dicendum, qui stirpis vita dum viuit, solaque alendi facultate est præditus, potestate est sentiens. Quod enim ex altrice anima & corpore, in quo inest, concretum est, id est ipse fœtus sentientem excipit, eique subijcitur non corpus solum, nec item altrix solum facultas, quæ sentientis inchoatio est quædam. Nec aliter ad intelligendi facultatem vis sentiens se habet. Sunt auté, qui hac difficultate aliter se explicantes inquirant priorem animam, seu animæ facultatem posterioris aduentu interire, vt quæ in posteriori potentia contineatur, quomodo triangulum (vt Aristot. ait) in quadrangulo. Quod vtro modo habeat aliàs disquirendum. Nec vero de anima solũ, aut eius viribus aliqui hoc statuunt, verum & de cœteris formis nullam, scilicet priorem noua succedente remanere, quod vnius materiæ, & omnino rei vna tantum forma esse debeat, ita materiam primam formæ omni proxime subijci, quæ D. Th. fuit sententia. De cuius veritate alias similiter videndũ. Nũc sat sit, si prior forma remaneat & remanere eam probabile est, quippe quæ ad posteriorem accipiendam comparatur, tametsi aliter, quam prius affecta potentiæ rationem cũ materia, in qua inest, subire, nec quo minus ita res habeat, aliquid impedire. Nil namque obstat, quin quod vnius actus est, alterius potentia esse possit. Quemadmodum vis illa, qua lumen excipere Aer potest, nempe perspicuitas aeris actus est, ipsumque aerem informat, quæ tamen cum lumine comparata potentia est quædam. Vnius autem & eiusdem rei potentiam & actum aliquid esse non licet, quomodo nec vnius ratione habita actu simul & potentia aliquid esse conceditur. Quoniam autem formæ id, cuius forma est, perficere proprium est, hecque eius vit est, & natura, accidit autem vt

alteri

alteri formę ſubijciatur,nec ſubijcitur,niſi vt eius,quod ſub ſequentem excipit formam, pars eſt, entelechia, ſeu perfectio,atque actus dicitur,quomodo materia potentia. Entelechia autem ſimplex eſt, non ex actu & potentia, aut pluribus actibus compoſita. Quod enim ex actu & potentia coaleſcit,corpus eſſe dictum eſt. Ex pluribus autem actibus nil per ſe vnum exiſtit. Nec compoſitorum corporum compoſitæ ſunt formæ,ſed tam eorum,quam ſimplicium ſimplices. Ad materiam duntaxat compoſitorum corporum compoſitio pertinet. Quemadmodum ſimplicia ea ſunt,quæ ſimplici conſtant materia, non ex pluribus corporibus concreta. Ea vero cum multis corporibus inter ſe admiſtis conſtent, concretam etiam formam videntur habere,vt ex eorum corporum materijs,materia,& ex formis,forma concreta ſit, & coagmentata. Sed res ita non habet. Nam corpora illa inter ſe miſta materiæ munere (vt diximus) funguntur,vnaq; & ſimplex eſt forma, quæ ex ea materia,& eius potentia elicitur,eamq; tota informat,veluti carnis & oſſis. Sed qm̃ miſtionis ex corporibus illis exortæ forma eſt,cõpoſitio vr̃. Atque hoc Alexandri decretum eſt, qui nullam compoſiti corporis formam compoſitam eſſe enunciauit, ſed eam tantum perfectiorem eſſe,& varietate magis diſtinctam, quippe quæ plurium motionum efficiens ſit,vt anima alterationis, & accretionis. Vnde cum omnis forma actus ſit, ac perfectio, aliam tamen alia perfectiorem eſſe patet, ſuntque formarũ multi gradus perfectione ſeſe excedentes, quarum diuerſa perfectio,ex diuerſis motibus,quorum principia ſunt,digno ſcitur. Quædam enim vnius tantum motionis principium ſunt,vt lationis,ſeu motus in loco elementares formæ, quæ ob eam cauſam in infimo formarum gradu ſunt poſitæ. Aliæ perfectiores præter lationem, accretionis etiam, & generationis ſibi ſimilis,atque nutricationis efficientes ſunt cauſæ, vt ſtirpium animæ,quæ ſtirpes procreant,nutriunt,& augẽt. & qua ex parte augent,loco etiam quodammodo mouent His minus perfectiores aliæ ſunt, quæ præter commemora

tas motiones sentiendi etiam & progrediēdi principia sunt, vt animantium Animæ. Hominis forma omnium, quæ in sublunaribus spectantur, perfectissima est. Pro motuum igitur & functionum varietate, compositorum corporum, quam simplicium formæ perfectiores sunt. Atque hoc & nil præterea de formis earumque simplicitate Alexander enunciauit. Nam quod rationem afferunt, subijcit, speciem, quæ & in materia, & subiecto, hoc est elementi formam aliquid ad eorum, quæ composita sunt, formas conferre, compositorum ipsorum formam & speciem compositam esse non docet, sed pluribus viribus præditam, ad quam virium multitudinem habendam elementorum formæ, ex quarum admistione compositi forma educitur, plurimum conducunt. Atque vt tamen non propterea compositum dicitur, quia illuminandi & excalefaciendi vim habet, ita nec compositi corporis forma, quia multis fungatur muneribus composita dici debet. Compositorum igitur formæ, quoniam plurium corporum inter se coeuntium formæ sunt, variæ magis dicuntur, magisque perfectæ singulis eorum formis, quatenus inter se corpora ea admiscentur, aliquid ad eas conferentibus. Ex eis autem formis compositæ non sunt, sed eas potius, cum earum materiam informant. Ita totius animati corporis anima forma est, nec ex elementorum, aut aliarum corporis partium formis concreta, sed corporis eius suarum partium formis informati postrema perfectio. Quod si in partes subiecto, & loco disiunctas anima esset diuisa, corporis partes, in quibus resident, informantes, quæ Platonis, & Galeni fuit opinio, & partium corporis formis concreta esse dicenda potius videretur. Sed animam in partes tales diuisam non esse Arist. monstrauit. Quid enim esset, quo partes, illæ continerentur, & in vnum copularētur, siquidem animæ, & omnino formæ continere proptium est? Quæ ratio ad omnem omnino formam accommodatur. Nam si partibus constaret inter se disiunctis, seu formis, seu alijs, formalia opus esset, quæ partes eas contineret, vnumque effi-

ce-

ceret. Videant ergo qui Galeni de animæ partibus decretum tuentur, quomodo non eam concretam,& ob eam causam formam aliquam compositam efficiant. Quod incommodum Platonem quoque consequitur, qui prior id,de animæ partibus loco distinctis, decretum induxit. Aristotelem autem non sequitur, qui viribus tantum ratione differentibus animam distinguit, vnamque eius & simplicem, atque vnius modi essentiam statuit. Animam ergo & omnem omnino naturalis corporis compositi formam simplicem esse ostensum est. Illa vero efficacitatem non habent, quæ ad hoc confirmandum a nonnullis afferuntur, harmoniam scilicet eam non esse,vt primo de Anima traditur, nec syllabam,elementa, aut carnem, ignem, & terram esse,sed aliquid etiam aliud, vt primæ philosophiæ septimo. Harmonia etenim multis quamquam inter se coeuntibus existit, ipsa tamen composita non est, sed id compositum est, quod harmonia constat. Syllaba autem forma non est, sed totum quiddam ex materia, & forma concretum, ob eamque causam A, & B, eam non esse, sed aliquid etiam aliud dicitur, quippe, quæ non solum materia est, sed etiam forma. Ita caro composita res est, cuius materia ignis, & terra, ac reliqua elementa sunt, ideoque dicitur, non hæc solum esse, sed aliquid etiam aliud. De qua re alibi.

* * *

Dubitationes quædam de formæ, tum in simplicibus, tum in mistis corporibus simplicitate, earumque solutiones.
Cap. V.

FOrmam entelechiam, seu actum esse, eumq; simplicem, nec vlla compositione constantem, tametsi alium alio perfectiorem, & plurium motuum principium ostendimus, & quæ contrarium docere videbantur dissoluimus. Verum de eius simplicitate aliæ non leues dubitationes existunt. Nam elementorum formas ex duplici principio existere, Alexander, Galenus, & plerique alij tradiderunt, Ignis formam ex calore & siccitate, Aeris ex calore, & humore, eodemque modo in alijs. Hominis item forma, quæ est anima rationis particeps, ex sensu & intelligentia, seu mente coalescit, quorum ille materiæ cuiusdam, hæc formæ vim obtinet. Nec enim eorum opinio probatur, qui in mente, seu intellectu vim sentiendi potentia inesse existimant, ac proinde mente accedente, sensum qui inerat, perire. Nam vt alia incommoda prætereantur, mentis natura & vis a sensu, & cœteris animæ partibus adeo diuersa est, vt eas virtute in se cōtribere non possit, de qua re alibi. Ex duplici igitur hac parte rationalis anima concreta est, vna vt materiam, & corpus informante, altera vt hanc ipsam, quæ corpus informat, & materiæ veluti rationem subit, perficiente. Quin & in ipso intellectu quiddam esse, vt in omni alia natura, quod materiæ, ac potestatis munere fungitur, aliud quod agentis, vel actus, tertio de Anima Aristoteles tradidit. Hinc illa intellectus potentiæ, & agentis distinctio. Sed quid in his, aut caducis, aut caducarum rerum formis compositionem hanc miremur, cum & in diuinis illis, quæ intelligentiæ nominantur, ac simplices maxime sunt, & ab omni interitu alienæ, hæc ipsa compositio statuatur. Inquit enim Auerr. tertio de Anima, quod ab omnibus conceditur, intelligen-

tiam

tiam omnem excepta prima, aliquid materiæ, aliquid formæ simile habere, nullamque nisi primam a potentia omnino, & simpliciter esse liberam. Non igitur forma omnis simplex est, & potentiæ expers actus. Vnam præterea alia imperfectiorem esse formam constat, a nobisque antea traditum est. Omnis autem imperfectio a potentia, & materia proficiscitur. Sed & perfectiores formæ cum in multipli ci sint, & vario subiecto, quod ex multis subiectis, & corpo ribus est coagmentatum, cuiusmodi similarium, ac dissimila rium partium formæ compositione quadam videntur constare. Nam quæ subiectorum inter se ratio est, eandem & formarum esse aliquis putauerit. Quemadmodum igitur subiectum simplex simplicem habet formam, vt in elementis: ita & composita & permista, compositas habebunt. Atque vt similarium, & dissimilarium subiecta & materiæ ex subiectis multis conficiuntur, ita & eorum formas ex illorum subiectorum formis confici, rationi est consentaneum. Cum præsertim functiones eas fere obeant, quæ ab eorum subiectorum formis, cum ipsæ inter se essent disiunctæ, obibantur. Hæ igitur de formarum simplicitate, & natura dubitationes existunt. Ad quas breuiter dici potest, primum quidem elementorum formas omnino simplices esse, nec ex vlla qualitatum, aut differentiarum, quæ in eis insint, concretione existere. Nec enim verum est, ex calido & sicco, ignis, aut ex calido, & humido, aeris formam confici, quin potius horum elementorum (vt antea dictum est) differentiæ sint, ac proprietates eorum formas consequentes, tantum abest, vt eas constituant. Alexander autem, & Galenus, hanc difficultatem effugere vix possunt. In hominis vero anima nil est quod veræ potentiæ habeat rationem. Nam sensus & phantasia si cum ratione seu mente conferantur, materia proprie non sunt, nec eam vt materia in se accipiunt. Quædam tantum potentiæ aut materiæ inest similitudo. Quomodo & perspicuum materia, seu poten-

tia luminis dicitur, neque hoc modo similitudine scilicet quadam formis compositionem inesse absurdum est. Quamquam & illud dici potest de formis nunc agi, quæ veræ formæ sunt, & materiam vere & omnino informant. Nam quæ partim informant, partim regunt tantum & moderantur, non propriæ formæ vt cæteræ dicuntur, hoc autem modo hominis anima se habet. Nec aliter de potentia, & actu, quæ intellectui, aut omnino intelligentijs tribuuntur dicendum, sola scilicet similitudine eis tribui, & operationum ratione & munerum, quæ in eis cernuntur. Est prætera forma vna altera quidem minus perfecta, sed tamen in suo genere perfecta, quæ quatenus talis, perfectior esse non potest. Ideo potentia in ea non inest, cum in his tantum insit, quæ perfectionem vlteriorem possunt accipere. Compositorum autem corporum formas compositas non esse, antea traditum est. Nec par subiectorum, seu materiæ, & formarum ratio est. Possunt enim illa ad compositum quid faciendum inter se coire, quod formæ non possunt. Namque coitio, & compositio corporum propria est, & quæ in eis insunt, ita componuntur, & coeunt, ut tertium quid ex eis existat, nullam habens compositionem, quod quidem est forma.

Entelechia igitur, seu actus, isque simplex & expers compositionis formam esse ostensum est.

* * *

Forma quemadmodum vere, ac proprie ſubſtantia ſit, primaque ab Ariſtotele nominetur.
Cap. VI.

QVæ cum ſe ita habeant, non ſubſtantia ſolum forma eſt, ſed vere etiam & proprie, primaq; ſubſtantia ab Ariſtot. merito vocatur. Nam ſubſtantiæ ratio eſt, vt ſit, quemadmodum vocabulo Græco οὐσία, quod eſt ἀπὸ τοῦ εἶναι indicatur. Vnde & τὸ ὄν quod nos ens dicimus, quamquam omnium decem generum commune eſt, primum tamen & proprie de ſubſtantia dicitur, deinde de cæteris, idque illius merito. Vnde illud. Alia genera entia eſſe quatenus ſunt entis, hoc eſt ſubſtantiæ affectiones ſunt, aut habitus, aut motus. Quaſi indicarit per ſe, & ſui ratione entia illa non eſſe, ſed entis naturam participare, quatenus illius ſunt affectiones. Ac quamquam aliç etiam ſubſtantiæ rationes, ſeu proprietates ſint, vt eſt accidentibus ſubijci, nullumque in quod ipſa recipiatur, ſubiectum eſſe, hæc tamen quod vere ſit, ac eius merito cætera maxime eius propria eſt, eaque ſubſtantię in genere congruit, non huic, aut illi. Accidentibus autem, aut contrarijs ſubijci, eaque viciſſim accipere, ſubſtantię tantum concretæ, ſeu etiam materiæ proprium eſt, non omni ſubſtantiæ. Forma igitur cum ratione ſeu eſſentia actus ſit, vel entelechia, vere ac proprie ſubſtantia eſt, quippe quæ proprie, ac per ſe ſuaq; natura eſſe dicitur, cum materia & concretum eius tantum exiſtant participatione. Ac quamquam ſubſtantia, quæ materia eſt, aliud ſit a forma, ſuumque entis gradum ab ea diuerſum acceperit eſſe tamen niſi per eam non poteſt. Nec ſi forma, niſi in materia eſſe ſimiliter non poſſit, ideo ab illa ita accipit vt ſit, vt illa ab ea. Longe enim diſpar vtriuſq; eſt ratio. Materia nãq; potentia eſt, quæ ad formam, vt ad perfectionem eſt comparata. Nec vlla abſque forma eſſe poteſt, quomodo quædam

ſunt formæ veluti dininæ, quæ a materia non pendent. Compoſitum autem per formam, & ex forma eſſe perſpectum eſt. Nec enim vmquam eſſe dicitur, niſi cum forma ad materiã acceſſit, quæ ipſius compoſiti eſt generatio. Nec a compoſito (vt aliquibus viſum eſt) forma, vt ſit, accipit, nec vllam ei compoſitum eſſentiam impartitur. Nã quod naturæ in procreando propoſitus finis, atq; extremum cuius gratia procreat, compoſitum eſt, non item forma, quæ eius gratia eſt, minime efficit, vt illud, ac non potius formam ſubſtantiã, ſeu eſſentiam primam dicamus. Compoſiti namq; generatio alia nulla eſt, quam formæ e materiæ potentia eductio, ipſiuſq; materiæ per formam exornatio. Generari autem illud dicitur, quod naturę propoſitum primum videatur, atq; etiã ex materia generetur, quod rei, quæ gignitur, proprium eſt. Forma vero ex materia non fit, quippe quæ ſimplex eſt, nec partem habet. Ex ea autem elicitur, & in eam recipitur, proximumq; eſt eius procreationis extremum. Perſpicuũ itaq; eſt, ſubſtantiam primam eam eſſe, idq, ex eo, quod actus ſit, nullam in ſui natura cohibens potẽtiam, actum enim id eſſe, ſecundo de Anima traditum eſt, quod proprie vnum vereq; ac proprie eſt. Materia autem & compoſitum non ita vere, ac proprie. Eſt namq; illa ſuapte vi, ac natura potentia, ipſiuſq; eſſe quoddam veluti initium, compoſitum vero formæ beneficio actu eſt, idq; potentiæ admiſtum. Hinc in rerũ vniuerſitate, quæ potentiã minus participant, ea verius sũt, ac magis proprie, quæ autem magis potentialia ſecus ſe habent. Elementa quattuor quoniam materiæ primæ affinia ſunt, ob eamq; cauſam potentiæ plurimum naturam obtinent, omniũ corporum minime eſſe, ac ſubſtantiæ naturam parum participare exiſtimatur. Vnde eorum formas inter ſubſtantiam & accidentia, quæ eius participatione ſolum ſunt, ac non entia ſæpe nominantur, medias Auerr. nuncupat. Cæteræ naturæ ex ſimplicibus hiſce corporibus ortæ, quo a potentia quæq; longius abſunt (abſunt autem longius quæ a materia prima magis recedunt) eo veriores ſubſtãtiæ ſunt, ac magis propriæ

exi-

existunt. Quam ob causam orbium cœlestium motrices causas, quia summe simplices sunt, ac nullius potentiæ materialis participes, primas & veras substantias esse, omniumq; rerum magis existere dicimus. Ita essentiam, seu substantiã primam, formam esse, quemadmodum, quamve ob causam Aristot. dixerit, ostensum est. Hoc vero & primæ philos. 7. ab eodem traditum est, cum eam materia priorem, magisq; ens esse, & ob eandem causam eo quod ex illis constat, enunciare visus est. Qui Aristot. locus plerosq; defatigauit, cum cernere non possent, quonam pacto concretum, quod præter eã, materiam quoq; complectitur, perfectione forma antecederet, magisque ens eo diceretur. Vnde alij alia excogitarunt, vt eius loci veritatem tuerentur. Alij dictum id affirmarunt, quod compositi principium forma sit, & materia prior, quæ compositum, cuius est elementũ, antecedit. Alij quod a composito cui vt sit, author est, minus dependeat, quã ab ea compositum. At de his antecessionibus eo in loco minime agebatur, sed de ea tantum, qua quod perfectius est, & præstãtius, id, quod minus perfectum est, antecedere dicitur, quo antecessionis genere materiã formã præire illic est traditũ; Nec enim aliter composito, aliter materia formã priorẽ tradidit, sed ob eandem causam composito, ob quam & materia. Primam igitur substantiam formam esse, eo quoq; in loco dictũ videtur. Nisi eum locum aliter legamus, nimirum, vt Alexander legere visus est, scilicet formam materia priorem, magisq; ens esse, & ob eandem causam compositum ipsum, vt nõ forma composito prior dicatur, sed compositum materia, ob eandem causam, ob quam & forma, quod videlicet actu sit, quemadmodum forma. Quæ lectio & verissima est, & cum paucioribus, quam altera difficultatibus coniuncta. Huius autem lectionis varietas in verbis Græcis facile extitit, ob vocis ἢν in ἢ seu contra, mutationem, quemadmodum quisq; linguæ Græcæ vel mediocriter peritus facile potest perspicere.

Formam naturalem cum in materia ſemper inſit, quomodo tamen ſeparabilem aliquando Ariſtotel. dixerit.
Cap. VII.

EX his, quæ tradita ſunt, quæ naturalis formæ ratio & eſſentia ſit, magna ex parte intelligitur. Illud remanet dicendum, quemadmodum cum in materia inſit, nec ab ea vnquã re ipſa vt priore libro traditum eſt, ſeparetur, ſeparabilem tamen nonunquam Ariſt. dixerit. Rurſus quomodo a mathematicis formis diſtinguatur, ſi ſeparabilis non minus ac illæ ſtatuitur. De eius autem ſeparabilitate ſecundo Phyſic. ita loquitur. Et in eis formis, quæ ſeparabiles quidem ſunt, ſed in materia inſunt, naturalis verſatur, ſiquidem homo & Sol hominem generant. Perſpicuum autem eſt, ratione duntaxat eas ſeparari docuiſſe, non re ipſa, vt per ſe abſque materia poſſint conſiſtere. Ita eodem ſecundo. Natura (inquit) quæ forma & ſpecies dicitur, ſeparabilis non eſt, niſi ratione. Et primæ philoſ. 8. Forma eſt ratio, & hoc aliquid ratione ſeparabile. Re ergo a materia naturalis forma non ſeparatur, vt abſq; illa conſiſtat. Ac cũ materia abſque forma re vera eſſe non poſſit, forma tamen abſq; illa minus per ſe ſubſiſtere videtur. Formam autem dico, de qua loquimur, naturalem. Nam aliæ ſunt formæ a materia abiunctæ, quæ abſq; illa ſubſiſtunt. Quod ſi a materia naturalis forma re ipſa ſeparatur, eo ipſo quod ſeparatur, interit, hocque vnum ex his eſſe, quæ a naturali poſita ſunt, quarto Phyſic. Auerr. tradidit. Ac quemadmodum poſtquã in materia extitere naturales formæ, ab ea ſeiungi, vt permaneant non poſſunt, ita nec antequam in ea inſint, vllo modo ſubſiſtunt. Primæ enim philoſ. 12. ita Ariſtot. loquitur. Formæ, quæ ſunt vt ratio, ſimul ſunt cum compoſito, nec illud antecedunt. Nam ſi antecederent, per ſe abſq; materia ſubſiſterent. Qua in re a Platone viſus eſt deſciuiſſe. Hominum

enim animas eos antecessisse ab ipsa mundi procreatione simul genitas, & in syderibus collocatas, vt aliàs docebimus, ille existimauit. Quare si hominis anima naturalis forma est, compositũ formam eius sententia præire intelligitur, sed de animarum eiusmodi antecessione vtrum ita habeat, necne, aliàs agendum. Nunc autem cum naturales formas a materia separari non posse Aristot. vniuersim statuerit, admirandum videri possit, Auerr. primæ philos. 7. non vniuersim id eis tribuisse. Manifestũ est (inquit) naturales formas, aut plures, aut omnes extra materiam non esse. Quid illud est, aut plures, aut omnes? Cur non omnes absolute? An vero eo loco satis erat aliquas formas naturales absq; materia non esse ostendere? Nam Platonem Aristot. arguebat, quòd ideas, quæ naturales sunt formæ, a materia abiunctas statuisset, an cœlestium corporum formas respexit, quæ cũ naturales sint, vtpote naturalium corporum extra materiã positæ sunt, ita vt ab ea non dependeant, nec esse aliquod ab ea accipiant? Nam etsi eius sunt formæ, & ad eam referãtur, non ita tñ per eam subsistunt, vt quæ in rebus generabilibus habentur, de quibus nunc agimus. Quas cum perspicuum sit absque materia re ipsa esse non posse, explicandum, quomodo ratione ab ea separentur. Hoc enim minime videtur, quippe, quæ per materiam & ex materia definiantur, hocq; nomine a Mathematicis formis distinguantur, quod sexcentis locis ab Arist. est traditum. Quid enim est, quod Physic. 2. dicitur, naturales formas minus, quam Mathematicas separari? Hoc enim verum non videtur, nisi ratione quoque separari naturales non possint, siquidem Mathematicæ quæ re ipsa in materia insunt, eo modo separantur. An vero naturales separari quidem ratione possunt, ita vt eas absq; materia, in qua insunt, animo concipiamus, quæ tamen si definiantur, & perfecta intelligentia reddantur, materiam necessario habent adiunctam? An ne hoc quidem tuto dici potest, quod quæ ratione diuersæ sunt, diuersas etiam habeant definitiones, proinde quæ ratione separantur, definitione etiam separentur?

An

An hoc nil impedit, quod materiæ & formæ diuersas quidem definitiones admittamus, sed ita vt vnius absq; alteri esse non possit: tametsi quoquo modo eas inter se abiungimus, quod cum facimus, earum essentiam imperfecte intelligimus. Illud vero etiam dici potest, naturales formas a materia ratione quidem abiungi posse, sed non vt naturales, nec a naturali: ita enim materiam semper respiciūt, ac vt in ea semper insint, ita cum ea intelliguntur. A primo autem & diuino Philosopho separantur, qui eas, vt substantiæ sunt, & entia, contemplatur. Quamquam ne ille quidem fortasse absq; materia eas definit, quippe qui substantiam, quæ actu est, esse tradit, quod cum facit, ad materiam refert, quod actus potentiam, quæ materia est, respiciat. An vt difficultates omnes tollantur, dicendum potius formam ratione a materia separari, quod quamquam cum ea sempet sit, nec absque ea esse possit, rationem tamen diuersam habeat, animoque & intellectu eas attingamus, diuersasque faciamus. At si ratione sepatantur, quomodo minus quam Mathematicæ separabiles dicentur, quomodo item hoc nomine ab illis distinguuntur. Separantur autem minus, quod Mathematicæ absque sensili materia definiantur, ac a Mathematico perfecte apprehendantur. Nec enim earum essentia ad materiam refertur, quippe, quæ per se est, nullam certā & definitam, aut omnino etiā materiam requirens. Quid enim Circuli ratio cum materia coniunctionis habet, vt sine ea apprehendi non possit? At carnis forma cum elementorum ita inter se temperatorum ratio quędam sit, absque ea materia apprehendi non potest. Quomodo nec simum absque naso, in quo inest. Recte igitur Mathematica τὰ ἐν ἀφαιρέσει. i. quæ in separatione sunt posita, vt naturalia τὰ ἐν προσθέσει, hoc est, quæ adiectione constant Aristot. nominauit, quod illa a materia separantur, his semper adijciatur.

Formam, quę rerum naturæ commune principium est, vnam numero, vt materia est, non esse. Cap. VIII.

Formam naturalem in materia quamquam semper insit, nec separari ab ea re ipsa possit, ratione tamen posse, & quodammodo explicatum est. Illud nunc docendum, vna ne sit, quemadmodum materia rerum naturalium prima forma, an tot numero, quot res, quæ procreantur. Vna autem videri possit, quod materia (vt tradidimus) vna sit, in multas portiones diuisa, probabileq; sit, formam in principijs non aliter, ac materiam positam; Præterea, quod vna & eadem corporis forma in omnibus, quæ fiunt, inesse videatur; Quę cum materia coęua sit, principiũ in genere formæ esse, aliquis putabit. De prima autem forma, quæ idem est, ac primus finis, nunc nõ agitur; siquidem ea naturalis non est, nec in materia inest, nec rerum naturalium in genere formæ principiũ est. De qua si ageretur, verũ vna sit, necne, in dubium ponendum non esset. Vnam etenim cum prima sit, esse, perspectum est. De naturali igitur forma, quæ principium posita est, loquimur, hancque his quas attulimus rationibus vnam numero; quomodo & materia, videri posse dicimus. Alioqui non recte vna, cum ea in principijs numerata ab Aristotele videbitur; cum (inquit) subiectum numero vnum, sed specie duo. Et paulo post vnum vero est forma, vt ordo, aut musica. Deinde verbis aliquot interiectis. Vnum igitur principium ipsa est, videlicet materia, nec ita vnum est, vt ens, aut hoc quiddam. Vnum verò est ratio, & præter hæc priuatio ei contraria. Necvero quod quærimus illud est, quod a primo philosopho exacte explicandum primo Physic. Arist. docuit, cum dixit. Principium autẽ quod in genere formæ est, vtrum vnum sit, an multa, & quot, aut quæ sint primæ philos. munus est exquisite definire. Nam de principio in genere formę eo in loco loquitur, quod non

natu-

naturalibus ſolum formis, ſed alijs etiam non naturalibus commune eſt. Quod verbis, quæ ſequuntur indicatur. De naturalibus (ait) & quæ intereunt formis, in his, quæ poſt demonſtrabuntur, dicemus. Quaſi de alio formarum genere antea eſſet locutus. Nam ſi non cõmuniter de principio omnibus communi, certe de ſeparata forma, aut principio ſecũdum formam ſeparato loquebatur, quippe cum illud ad primum philoſophum attineat, quod etiam primæ philoſ. 12. inquiritur, ac ſecundum formam principium recte dicitur, quod generabiles & naturales formæ ab eo eſſe accipiant, earumque omnium verum ſit principium. Fortaſſis vero, & Platonis dogma ſpectauit, quo duo formæ genera, nempe ideæ, & generabiles formæ, ab eo ſunt poſita. A primo igitur philoſopho exacte explicandũ, vtrum principium hoc vnum ſit, quemadmodum rei veritas eſt, an vt Plato exiſtimauit, multa. Quod etiam in prima philoſophia inquiritur. Quicquid ſit, id conſtat, de naturali, & generabili forma minime locutum, tametſi Simplicius ad eam quoque verba illa accõmodari poſſe cenſuerit, vt de ea quidem & alijs principijs naturalis philoſophus differat, ſed non exquiſite vt primus. Verum patet rem aliter habere, cum naturales formas ab eo protinus Ariſtot. ſeiungat, formarum genus diuerſum intelligens, non diuerſam ſolum conſiderationem. Mirari quidem (vt aliàs traditum eſt) quis poſſit, de principio ſecundum formam, aut omnibus formis communi, aut ſeparato mentionem in eo loco Ariſtotelem feciſſe, cum neutrius eorũ proprius eſſe, ſed naturalis potius & generabilis, quod cum materia in principijs numerauerat, explicandũq; manebat, vtrũ vnum eſſet, an multa, & quemadmodum. Dubitationem auget, quod exactam tãtum explicationem primo philoſopho tribuit, quaſi non exactam, & veluti ſuperficialem naturali relinquat, cum tamẽ de ſeparato eo, aut etiam cõmuni principio nil tale naturalis ſcrutetur. Nec quod Auer. tradit huic dubitationi tollendæ aliquid confert. Illud autem eſt, naturalem principium hoc, an ſit, inquirere, in prima autem philoſophia

losophia quid sit explicari, non an sit, quod eius sit subiectũ. Vnde Auicen. errauerit in muneribus primo philosopho tributis. Hoc inquam minime conducit, quod de quæstione an sit, & quid sit, nullus eo in loco sermo habeatur; sed de quæstione an vnum sit, & multa, & quot, & quæ sint. Ideo omnia illic perperam ab Auerr. tradita. Vtrum autem ita vt docuit res habeat, recteq;, an secus Auicennam reprehenderit, alibi explicandum. Cum formam principium vnum esse antea tradidisset, eam nimirum, quæ priuationi aduersatur; nec vtrum in eo principij genere vnum tantum esset, an multa, satis expendisset, cum præsertim & separata forma principij rationem obtineat, quæstionis huius meminisse, & ad primum philosophum exactam eius disquisitionem reiecisse, quod de separato principio, & omnino de forma differere ad eum accurate attineat. Aut igitur ita statuendum, aut (quemadmodum monuimus) propter Platonis ideas id dictum, quippe quas rerum naturę in formæ genere principia, nempe rerum essentias tametsi a materia abiunctas videretur posuisse. Sed vtro modo intelligatur, ad nostram quæstionem non spectat, qua quærimus, vtrum rebus naturæ omnibus, vt vna communis est materia prima, ita & forma vna naturalis, & cum materia coniuncta. Quæ cum vna esse vt docuimus videri possit, vna tamen non est, nec esse potest, longeque eius, & materiæ diuersa est ratio. Nec enim si vna esset, essentia inter se res differrent, ac non numero quidẽ, quin potius numero omnia vnum essent, cum a forma vt sint, & vnum sint, res omnes accipiant. Perspicuum autem est, non numero tantum, sed specie etiam & genere res inter se differre. Corporis autem, seu corporeitatis nulla (vt antea monstrauimus) in materia est forma. Quæ si esset non eo tamen principij quod formæ proprium est, munere fungeretur. Nec enim per eam res gignerentur, nec inter se differrẽt, nullamque ab ea essentiam acciperent. Potuit autem materia vna esse, quæ in multas portiones diuideretur; ac in elementis, quæ ex ea primum constãt, eiusdem rationis inesset, nam essen-

eſſentiam ab ea non capiunt, nec per eam ab alijs differunt. Quomodo ex ligno ſcamnum & lectica, & eius generis alia fabricantur, quorum tamen nec vna numero eſt, nec eſſe poteſt forma. Tot igitur formæ ſpecie ſunt, quot rerum ſpecies, itidem numero, quot res numero in vniuerſo ſpectantur. Sed quæ in materiam primum accipiuntur, quattuor ſpecie ſunt pro ſimplicium corporum numero, ex quorũ admixtione aliæ deinceps ſequuntur, diuerſæ inter ſe, non aliter, quam admixtio, ex qua exiſtunt. Quomodo autem materia vno modo, & forma alio, cum æquè principia ſint, poſuerit Ariſtot. antea dictum eſt.

Formarum naturalium origo, & quonam modo in materia, cum antea non eſſent, eſſe incipiant. Cap. IX.

CVm autem ita res habeat, vt forma, quemadmodum materia, rerum naturæ principiũ vna eſſe non poſſit, efficitur, vt ne æterna quidem, vt illa ſtatui debeat, quin potius eſſe tum incipit, tum deſinit, cum res oriũtur. Nec vero aliquo temporis ſpatio ante rerũ generationem exiſtunt, ſed eodem temporis momento, & res, cuius forma eſt, eſſe incipit, genitaque dicitur. Quomodo nec poſt rei interitum vlla remanet forma, ea animę parte excepta, quæ mens vocatur. Sed hæc proprię forma non eſt, niſi quemadmodũ nauis, nauta eſt, & exercitus, Imperator. Nec enim in materia merſa ineſt, vt cæteræ materiales formæ, quæ a materia, vt ſint, dependent. Sed de mente alibi agendum. Porro forma ſi vt materia vna eſſet, eam perpetuo amplecteretur, eiuſque æternitatem participaret. Sed cum tot quot res generabiles ſint, nec abſque materia eſſe queãt, nec item ſimul multæ in materiæ vna portione eſſe incipiãt, atque oriantur, nec æternæ ſint, neceſſe eſt. Nec tamen proprie, aut gignũtur, aut intereũt, propterea qđ ſimplices ſint, & quicquid gignitur compoſitum, & ex materia gignitur, vt

multis

multis in locis Aristotel. tradidit. Esse autem incipiunt, cum antea non essent, & desinunt cum fuerint, tametsi nec oriantur, nec intereant, nisi ortus & interitus vocabulis communiori significatione vsurpatis. De qua in libro de causis a nobis agitur, quod hoc formæ, ac materię in genere commune sit, nec solius naturalis proprium. Hoc autem perspicuũ cum sit formas scilicet naturales cum antea non fuissent, esse incipere, quodnam tamen earum principium sit, & quemadmodum esse incipiant, ac in lucem edantur, maxime est controuersum. Primum quidem, vtrum ipsæ per se, nulla generantis causæ necessitate, sponteque ac casu in materia esse incipiant, an quæcumque oritur a generante causa rei alicuius gratia, nec temere, aut fortuito originem ducat. Deinde hoc constituto, vtrum extrinsecus sumpta ab ea in materiam mittatur, an cum antea inesset, de ea, ex quodam veluti promptuario eliciatur. Postremo si insit, nullaque extrinsecus accedat, vtrum actu insit, & latitet, seu perfecte, seu etiam imperfecte, & veluti inchoate, ac per quandam secretionem extrahatur, an sola potentia, e qua promatur, & in actum ducatur. Hæc de formarum naturalium origine controuersa sunt, magnamque philosophis omnibus difficultatem præbuerunt. Sed de primo sese expedire facile est. Cum enim quicquid gignitur, ab aliquo gignatur, nulla forma existere per se potest, ita vt ex se absq; causa generante esse incipiat. Nam licet proprie non gignitur, sed compositum, illud tamen non fit, nisi per formam, quæ cum antea non esset, in lucem editur, vt ab eadem causa vtrumq; proficisci oporteat, ac forma sit quo, compositum autem quod. Atque si ex se nullo generante manifesto quædam videntur generari, vt certis in locis ignes nonnulli, Plantæ item & animalia, quæ ex putri materia absque semine oriuntur, hæc generantem causam manifestam esse non habent, absque tamen ea non fiunt, seu calor sit cœlestis, seu spiritus per vniuersum fusus, vt quarto de Animalium ortu proditum est. Generantur (inquit) in terra humoreque animalia, & plantæ, quoniam humor

mor in terra, ſpiritus in humore, calor animalis in vniuerſo ineſt, ita vt quodammodo plena ſint animæ omnia. Alij è calore putrido, id eſt, rei putris, quo generalis calor per mundum fuſus ad ſpeciem eam anguſtatur, & ille quidem putridus calor, etſi cadaueri, exempli gratia, extraneus eſt, animali tamen quod gignitur non eſt. Hæc igitur, quorum nulla eſt generans cauſa manifeſta, eam tamen habent, à qua eorũ formæ proficiſcuntur. Itaque forma nulla per ſe abſque generante cauſa ſponte exiſtit. Atque hoc quidem manifeſtũ cum ſit, patet veterum error, aut imperfecta, & manca philoſophia, qui cum in materiam omnia referrent, nullam efficientis cauſæ mentionem fecerunt. De qua re in progreſſu. Illud verò magis controuerſum, quod ſecundo loco propoſitum eſt, quoniam modo formæ a generante causa exiſtant, vtrum extrinſecus in materiam mittantur, an de ea ſecernantur, & veluti promantur. Plato extrinſecus in materiam indi tas viſus eſt credidiſſe. Ab ideis enim proficiſci, & earum veluti ſimulachrum quoddam in materiam imprimi. Vnde quemadmodum ſigilli ſpecies, ſeu forma in cera impreſſa ab eo extrinſeca dicitur, ita & naturales formæ, cum idearum ſpeciem referant, & ab eis imprimantur, extrinſecus proficiſci ex eius ſententia videtur dicendum. Ariſtot. autem qui ideas nullas ſtatuit, nil tale de formis excogitauit, quin potius a generante particulari, ac generali calore, & ſpiritu, de materia educi. Vt in libro de Dogmatibus copioſè expoſuimus. Verior autem Ariſtot. quam Platonis opinio videtur. Primum, quod ideæ non ſint, vt poſt oſtendetur. Deinde quod ſi eſſent, non idcirco formæ in materiam vt a ſigillo quodam ab eis imprimerentur. Quæ enim eiuſmodi impreſſio excogitari poſſit, aut quis impreſſionis modus? Accidentia itẽ viderentur, quo modo ſpecies in cerã a ſigillo impreſſa. Quod ſi ita imprimi quis putet, vt domus ſpecies, ab ea, quę in architecti animo ſedet, exemplaris munere fungente in materiam inditur, hic intelligat, nullam primum in domus fabricatione impreſſionem cerni, ſed eius tantum ſecun dum

dum id, quod in mente inest architecti extructionem. Deinde domus essentia ea est, quę in materia ponitur forma, quę autem ab idea in naturali materia imprimitur, rei naturalis essentiam Plato non ponit, sed ipsam ideam, quæ æterna est, & immutabilis. Non igitur ab idea, vt impressio quædam naturalis forma existit. Nisi similitudine quadam ac veluti poetice dictum sit, vt cum naturales formæ non aliter ideis, quã figura in cera impressa sigillo similes sint, ab eis veluti imprimi dicantur. At nec a formarum datore creantur, vt alij sunt opinati. Nam quod creatur, per se esse potest, nec aliud quid requirit, in quo insit necessario. Omnis enim eiusmodi effectio, quæ aliquid exigit, nec generatio est, non vlla creatio, quæ ex se omnis existit. At formarũ ad generationẽ aliquid requiritur, nec ipsæ per se possunt consistere, vtpote q̃ oẽs in materia sint, atq; subiecto. Minime ergo creantur. Nulla item agentis particularis esset necessitas, nulla eius assimilatio. Quorum vtrumque falsum est. Nil enim gignitur, absq; particulari agente, atque ad id quoad fieri potest assimilatione, quippe cum hæc agentis perfectio sit, vt sibi simile producat, restat igitur vt formæ de materia, quemadmodum Aristot. censuit, educantur. Qui autem ei aliam sententiam tribuerunt, nempe formas a cœlo proficisci, & in materiam præparatam extrinsecus immitti, a vero plurimum aberrarunt, vt in libro de Dogmatibus longa oratione ostẽdimus. Alij voluerũt, ex agentis potestate formam educi, sed quod in ipsa inesset materia, vt formæ emersio, quam eductio potius dicenda sit, propterea quod emergere ipsa per se, non ab vllo agente externo educi videatur. Ita canis gignendi formam in feminis canini potestate esse, quod semen illud potens sit formam dare, quam in se continet. Educi autem, de ea potentia remota, qui est actus primus, ad potentiam propinquam, qui est actus secundus, scilicet vt forma in eadem sit materia, in qua erat, sed ad eum modum, qui nullis egeat adminiculis, vt fine suo fruatur, ad quem totum compositum est præparatum, hæc senserunt nonnulli: quæ vt le-

uiter,& parum considerate dicta, ita leues quosdam & parũ consideratos affectas inuenerunt. Quomodo enim canis forma in semine insit actu primo, nisi semen illud actu canis vere dicatur? Vnumquodque etenim ex actu primo tale dicitur, non ex secundo. Sed hoc hi, quos commemoraui, concedere videntur, quo nil insultius, nil a vero magis alienum, vt refutari minime mereatur. Nam si semen actu est canis, cur igitur ex eo gigni canis dicitur, quãdoquidem quod est, non gignitur, hocque ipso generatio a motũ differt, quod cum motus eius sit, quod est generatio eius est, quod non est; vt quinto Physic. traditum est. Generatio præterea ad actum primum est, nempe ad esse, quod est a forma, quem actũ primum suo deinde tempore sequitur secundus. Ad actum igitur secundum eductio nõ est, neque emersio generatio, quæ ad formam terminatur. Quare non erat in semine, nisi potentia, & illa quidem ad actum primum. De semine loquor, quod materiam generationi præbet. Nam quod efficiens, vt animalis semen, tantum est, formam in se potentia non habet, nisi actiuã, quòd videlicet potest, ex materia subiecta eam educere; Nec tamen eo modo, quo Socrati apud Platonem Diotima mulier fatidica in Symposio narrauit, cum vt hominum omnium prægnans, & grauidum esse corpus, ita & animam tradit. Nam non alijs animis prægnantem animã intelligebat, sed amore & desiderio immortalitatis grauidã, quinetiam præclaris rationibus plenam, quas in aliorum animis gestit perpetuo gignere. Quæritur præterea, si in canis semine actu insit anima, vni cani in toto, an sua cuiusque seminis ipsius particulæ est? Videtur enim in quaque particula suam cuiusque esse oportere, tum præsertim cum multi canes ex eo generantur. Alioqui propriam quisque animam minime obtineret. Iam si contingat, vt hoc totum semẽ multis animis præditum in vnum vteri locum colligatur, indeq; vnus tantum emergat canis, is profecto multas illas animas habebit, quo nil ridiculum magis. Nisi forte hoc etiam sit, quod multas hasce animas, seu etiam vnam canis, e quo defluxit

fluxit semen in se habuisse necesse est. Ac quemadmodum semen a corpore, ita illas animas a cuius anima originem habuisset. Nec enim alia potest excogitari. Quin semen cum quotidie gignatur, animæ in eo multæ simul gignentur, prægnansque erit perpetuo anima. Absurda igitur hæc cum sint, eo videntur absurdiora, quod ex Aristot. hæc enuncient, atque tueantur, eiusque hanc sententiam esse inquirant, cum innumeris in locis semen potentia tantum animatum esse, vimque duntaxat efficientem habere, qua in materiam agat, & ex ea rem generet tradiderit. Hæc præterea ad elementorum aliarum rerum inanimatarum generationem & formas accommodari non possunt, nec quomodo illæ esse incipiat, docent. Nec enim dici potest, ignis, qui in ligno ab alio igne gignitur, formam in eo igne actu primo præfuisse, & ad actu secundum eductam. Sed somnia hæc mittantur, & formam omnem, quæ gignitur in materia præfuisse, nec ab agēte causa in eam extrinsecus inductam cum Arist. statuamus. Sed quonam modo præfuerint; vtrū actu, ita vt in ea latitarint, secretione quadam eductæ, an potentia sola, dubitatur. Anaxagoras, qui omnia in omnibus posuit, formas actu in materia præesse, & secretione ab ea educi existimauit, ea ductus ratione, quod ex quouis quoduis gigni cerneret, nilque tamen e suo contrario inesse, itaque in pane sanguinem, si ex eo gignatur. Sed hæc sententia absurda est, vt multis modis Physic. primo Aristot. monstrauit. Quomodo enim in pane sanguis insit, qui si in minutissimas partes frangatur, & comminuatur, nullam vnquam sanguinis speciem præbebit. Alij non omnino formas in materia præexistere voluerunt, sed quandam earum veluti inchoationem, & esse imperfectum Nec enim nisi eo modo insint, naturalem generationem esse posse, quippe cum naturale id sit, cuius principium actiuum in ipso est, quandoquidem natura sic definita est, principiū motus & status eius, in quo inest. In materia igitur actiuitatem inesse, atque hanc formæ esse inchoationem. Non item alia de causa quædam a natura fieri, quę ab arte non possint,

nisi quod in materia forma quodammodo præexistit, quam ars inducere non potest. Fore item formæ creationem, si nullo modo in materia præexistat. Præexistere igitur, sed im perfecte, & veluti inchoate; Vnde effici vt agente externo opus habeat, quod ad perfectionem eam ducat, vimque ad agendum impartiatur. Sed ne hæc quidem sententia magnam habet probabilitatem, nec firmis validisque nititur argumentis. Qui enim fieri possit, vt cum ex aqua fit ignis, aut ex herba sanguis, vel in aqua ignis, vel in herba sanguinis forma vllo modo actu insit, vel etiam longe imperfecto? Nam & ignis perinde vt aqua actu id esset, & sanguis hoc perinde vt herba, licet hæc imperfecte, illa perfecte. Oīs etenim forma actus est, & vna cum materia actu compositum efficit. Nec vero forma imperfecte inesse dici potest, nisi & esse imperfectum id, cuius forma est, habeat. Esse enim formam sequitur, & quo gradu forma est, eundem esse participat. Esse autem imperfectum ac deinde perfectum dici non potest, nisi substantia, atque essentia intendatur, ac remittatur, quod minime est affirmandum. Nam licet aliqua obscurius, alia illustrius esse habent, illud tamen ipsum quod habent, in suo genere perfectum est, nec magis recipit, aut minus. Imperfectio præterea a potentia existit. Forma igitur si in materia imperfecte insit, potentiam admistam habebit, quare non simplex: Vt interim mittamus fieri non posse, vt actus substantialis potentiæ aliquo modo admisceatur, tametsi quod actu est, potentiam possit participare. Aberrant igitur hi plurimum, qui hanc sententiam sequuntur; In qua hi quoque videntur fuisse, qui formam in agentis potestate, & eam, quę canis est, in eius semine inesse, de quibus antea egimus, statuerunt. Absurdum igitur hoc cum sit, dicendum, formas in materia quidem præesse, sed potestate sola, e qua a generante causa in actum ducantur. Potestate autem dicimus non eo tantum modo, quo statuæ, aut circuli forma in materia sua, ac potestate inest, quod videlicet ex ea possint fieri, si in materiam illam artifex egerit, & formam induxerit

rit. Verum potestate ea, quæ propensionem & motum veluti quendam ad ipsam formam complectatur. Cuius ratione non quoduis ex quouis fieri dicitur, sed ex materia determinata, quæ eam scilicet habeat potentiam. Ex quo etiã fit, vt generationes naturales dicantur, siquidem materia quandam veluti actiuitatem ex se habet, nempe illam propensionem, & formæ appetitionem, nec omnino a generante causa vim patitur, vtpote ex se ad eius actionem subeundam procliuis. Atque hanc potentiam si formarum inchoationem nominare quis velit libenter admittimus, quandoquidem ex ea formæ esse incipiat. Et de hac quidem re in libro de Dogmatibus multa sunt tradita. Formarum autem creatio cum eas in materia præexistere negamus, non propterea inducitur. Nec ex nihilo fiunt omnino, quod materia præexistat, in qua insunt potentia, quæ si nulla præexisteret, creari profecto dicerentur. Generans igitur causa formas secum extrinsecus non affert, nec in materiam eas cœlum demittit, non item in ea actu antea præexistunt, sed cum potentia eo modo, quo dictum est, in illa insint, eam potentiam excitat, materiam mouendo, & agitando, & ex ea in actum educit, vt non emergant solum, sed etiam cum antea non essent, esse incipiant. Cœlum autem vt causa vniuersalis efficienter agit, de qua re in progressu, cum de agentibus causis dicetur.

***

Non omnes formas e materia eodem modo educi, nec omnes in materiam primam proxime recipi

Cap. X.

CVm autem hæc, quæ explicata eſt, formarum origo ſit, ac de materiæ potentia, eo, quo traditum eſt modo educantur, intelligendum eſt non omnes eodem modo educi. Aliæ ex eius potentia proxime, ac nullo medio in lucem eduntur, vt elementorum: aliæ horum formis intercedentibus, aut omnium miſtorum. Nec enim has abſque medio accipere, aut cum illis ad miſtorum generationem coire, vtpote nobiliores, ac præſtantiores, quàm vt cum eo, quod longe imperfectiſſimum eſt, potentia videlicet pura, copulentur. Quare cum nullum aliud medium, quam elementorum formæ queat intercedere, quippe, quæ in materiam primam primo recipiantur, & elementa, quæ ſimplicia ſint, cum ea componat, eis medijs ex illius potentia educuntur, atque eam informant. Quæſtio autem perdifficilis, & inter ſummos viros agitata, hæc eſt, de formarum elementarium in miſto permanſione, & quemadmodum remaneant, cum multis, hiſque efficacibus rationibus eas niſi potentias remanere, & quamquam formam, vel animam etiam, & ipſam denique mentem cum materia prima proxime copulari complures contendant. Quæ ſane quæſtio cum ad diſputationem de elementis, aut de miſtis attineat, nunc prætermittetur, idque tantum docebitur, fieri nullo modo poſſe vt compoſitorum, ſeu miſtorum formæ in primam materiam proxime recipiantur, aut ex eius potentia eliciantur. Ex quo id aperte conſequitur, quod poſtea ſuo loco examinabimus, elementorum formas in miſtis rebus permanere, reſque omnes miſtas ex elementis, ut ex materia quomodo ea ipſa elementa ex prima, conſtare. Perſpicuum igitur eſt, non omnia, quæ in hac rerum vniuer-

sitate spectantur, eodem modo simplicia, aut composita esse. Verum alia simplicia corpora nominari, alia composita, & in his, alia magis, alia minus. Nam lapides, & metalla compositiora, quam elementa, & stirpes, atque animalia, quam lapides & metalla, cum multis partibus dissimilaribus, quæ in illis natura insunt, constent. Essent autem omnia eodem modo simplicia, si formæ omnes eodem modo in materiā primam proxime acciperentur, ex eaque & formis singulis res omnes constarent. Nam quæ maioris, aut minoris compositionis causa esset, reddi non posset. Nec enim quod vna altera perfectior forma sit, aut plurium operationum principium, idcirco aut compositior causa dicenda est. Antea namque explicatum est, formam omnem simplicem esse, nec vllam omnino compositionem in vlla inueniri. Quod etiam ita potest ostendi. Nam si aliqua compositio sit, necesse est, aut ex materia & forma, aut ex duplici forma compositam esse, aut etiam ex duplici materia. Hæc enim omnino sunt, quæ ad aliquid componendum adhibentur. Ex materia autem & forma dici non potest. Quomodo namq; quod actus est ex eo, quod potentia est, & alio actu constaret? Opponuntur certe inter se actus, & potentia, nec vnum in alterius naturá, atque essentia esse potest. Quod item ex materia & forma constat, actu est, non actus, per se item potest consistere, & separari. Quod de forma dici non potest. Sic vero auri forma, aut etiam stirpis, quæ compositæ ponantur, quærendum ex qua forma, & materia constent. Quod si ex materia prima, & elementi aliqua forma cum alia, præter has afferri commode non possit, dupliciter materia prima in hisce rebus inerit, tum ea, quæ hac forma informatur, tū q̃ est pars huius formæ. Eritq; ēt hæc forma idipsum, qđ illud elementum ex cuius forma coalescit. Quod si ex duplici aut forma, aut materia constet, quænam illę sint, quærendum manebit. Ac cum nullæ nisi elementorum formæ, & materiæ primæ portiones aliquæ verius esse possint, idē & maius etiā quàm dictum sit incommodum consequitur. Sed hæc a nemine,

vel

vel mediocri philoſopho dictũ iri eſt exiſtimandum. Quar relinquitur formam omnem ſimplicem eſſe. Quæ etiam nil ſimplex ſit, principium rei eſſe non poteſt, nec eſſe omninc ei impartiri. Cum ergo ſimplex ſit, nullaque conſtet compoſitione, cur res vna compoſitior ſit, quam altera cauſa eſſe non poteſt. Ita vero natura comparatum eſt, vt vna altera perfectior ſit, viribuſq; pluribus prædita, ac plurium operationum virium illarum efficientia, principium. Si igitur compoſitum quid eſt magis, quam aliud corpus, ex materiæ proxime compoſitione proficiſcatur neceſſe eſt. Illa vero compoſita eſſe non poteſt, niſi quadam elementorum permiſtione formis eorum remanentibus per quas miſti forma in materiam primam recipiatur. Formarum etiam diuerſitas magna (vt dictum eſt) cum ſit, non poteſt materia prima, quæ vnius eſt rationis, omnes eas proxime accipere. Nec enim a generante cauſa ita poteſt præparari, ac alterari, vt vna in parte elementi, altera auri, tertia ſtirpis, ac vna tandem hominis ipſius formam accipiat. Nam & ex quocunque quodcunq; fieret, & quodcunque agens in quamcunque rem vim ſuam exerceret. Cur enim potius ex ſemine animal, quam ex terra generaretur, ſi nil in genito remanet, niſi eius, e qua gignitur, primæ materiæ? Nunc autem e ſemine gignuntur, quoniam ſemen tali eſt conſtitutione, atque elementorum compoſitione, vt ex eo tantum poſſit progigni. Aliter ergo & aliter ex materiæ primæ potentia formę educuntur.

Aliæ quidem remotiſſimæ, quatum & in ea potentia inſunt, alię proximæ, aliæ medio modo.

Rerum

Rerum naturalium externa principia quæ ſint,& quæ de efficiente principio veterum ſententia. Cap. X I.

DE rerum naturalium,quæ oriuntur,& intereunt, principijs,communiter primum atq; in genere, tum particulatim de ijs, e quibus gignuntur, & conſtant,quæque in illis inſunt, & permanent, de materia ſcilicet & forma, atque etiam aduerſa ei priuatione hactenus eſt diſputatum. Nunc de cæteris agendum,quæ ad earum quidem procreationem neceſſario principia adhibentur,ſed in eis non inſunt. Hæc Ariſt. duo numerat, id quod gignit & mouet, & finem,quem in gignendo habet propoſitum. Plato præter hæc, duo adiecit,exemplar & inſtrumentum,quæ non minus,ac duo commemorata, extra rem ſunt poſita. Sed de eis quid ſentiendum, poſtea dicetur. De eo autem quod generat & mouet,agamus,deinde de fine.Nam illud vere & proprie principium dicitur magis, quam finis. Siquidem rem quæ gignitur, ortumque ipſum antecedit. Quod principij rationis quæ eſt,vt primum ſit, nilque ante ſe habeat,maxime eſt proprium. Finis,quod re ipſa poſtremus ſit,principij rationem minus proprie obtinet.Quod tamen gignenti cauſæ propoſitus ſit, remque gignendam eo modo antecedat, in principijs numeratur. De gignente autem & mouente principio id ante omnia exponendũ,quę veterum ſententia fuerit,vtrum ab eis conſtitutum, nec ne, & quod ab aliquibus poſitum eſt, quid, & cuiuſmodi illud eſt,& quotuplex. Hac enim eademvia in materia,& cæteris tradendis ſumus ingreſſi. Quæ autem hoc in loco de cauſis per ſe,&per accidens,& alijs cauſarum efficientium diuiſionibus Portius explicauit, ſunt illa quidem ad tractationem de cauſis in genere attinentia, ſed non efficientium naturalium propria. Ideo ſuo in loco minime tractantur, nec diuiſiones eiuſmodi naturalium magis ſunt propriæ, quam aliorum.

rum. Multa vero huius generis idem author in libris suis de principijs tractauit, primæ philosophię magis propria quam naturalium principiorum. Sed ad rem veniamus. Veteres igitur physici cum initium quoddam, e quo res, vt ex subiecta materia orirentur alij aliud statuissent, nonulli eo contenti, nullam generantis causæ inquirendæ curam, aut solicitudinem habuerunt, tota rerum naturalium procreatione in casum, & fortunam relata. Alij quum materiam ipsam ex se nil gignere posse arbitrarentur, veritati veluti impulsi, ad eã inquirendam se dedere. Qui cum eam scrutati essent, alij aliam inuenerunt. Vnde varia & multiplex de illa eorum fuit opinio. Quorum tamen (vt Aristot. testatur) hoc fuit commune, quod nemo recte inuenerit, & omnino aperteque, ac dilucide tradiderit. Sed veluti dormitantes eã omnes quodammodo somniarint. Nec mirum quidem, cum principio cognito, ea inuẽta facilis esset, nec aliq̃d omnino ab isto statuĩ principio perfectum, ac elaboratum in lucem possit prodire. Rudia enim omnium initia, ac veluti balbutiens a primordijs extitit philosophia. Sed eorum ipsorum sententias commemorantibus, id quod dictum est, perspicuum euadet. Hesiodus & Theologus, & Poeta, idemque Physicus, qui rerum naturæ efficientem causam primam quæsijsse primus putatur, amorem, aut cupiditatem esse ratus est. Eandemque Parmenidis sententiam fuisse Aristot. tradit, (quãquam & aliam, quæ postea commemorabitur, illi attribuit) quasi quæcunque oriuntur, ac ipse etiam mundus amore, ac cupiditate materiam mouente, & agitante in lucem edantur. Ita enim Plutarchus de Hesiodo maxime scriptum reliquit, quem etiam naturaliter magis, quam Parmenidem locutum, & antiquissimum omnium constitutum ait, vt omnia, videlicet per ipsam nascerentur. Sed cum ij non satis dilucide efficientem hanc causam explicassent, poeticum q; potius quid esset, quod ab eis de Amore traditum fuit: Anaxagoras primus eam propius videtur attigisse. Quippe qui mentem eorum, quæ oriuntur principium statuit. Ob idq;

admi-

admirationi hominibus eum fuisse Aristot. refert. Quasi solam rationem secutum, cæteris placita sua temere prodentibus. Quamquam Hermotimum Clazomenium hoc prius (ferunt) tradidisse. Sed vter eorum prior fuerit, aut prius tradiderit, nihil attinet. Illud vero constat, causam eiusmodi efficientem & generantem ab illis positam, quæ non solum procrearet, sed recte & ordine id ageret. Principiumque esset non efficiendi solum, & mouendi, sed & rectæ, ac ordinatæ etiam efficientiæ, & motionis. Tale enim quiddam est mens. Sed illud in Anaxagoræ dogmate reprehendendum Aristot. inuenit, quod obscure, nec satis perspicue, nec omnino ex scientia causam eam tradiderit, inque ea tradenda, non aliter se gesserit, atque in pugna rudes, & inexercitati. Nam vt illi quamquam rudes, & imperiti persæpe tamen præclare agunt, & accommodatos inferunt ictus, idque absque scientia: ita Anaxagoram videri quid traderet, ignorasse. Si quidem causa illa, quam statuit, parum admodum vtitur. Nam ad exstruendum mundum Mente quidem vtitur, sed perinde, ac Dijs in Cœna Poetæ, cum in angustum res deducuntur. Tum enim solum vtitur, cum dubitat propter quam causam necessario est mundus. In cœterarum vero rerum procreatione, omnia magis ab eo in medium proferri ait, quam Mentem. Quod quidem Socrates apud Platonem in Phædone ipsi Anaxagoræ vitio antea verterat. Cum enim legentem quendam hanc illius sententiam, videlicet, Mentem omnia exornare, omniumque causam, ac principium esse, audiuisset, hoc genere causæ magnopere se delectatum ait, existimantem quodammodo consentaneum, mentem omnium esse causam rerum, verum causam a se adinuentam putasse. Sed hac mirabili spe ductum cum legere pergeret, videri hominem Mente quidem nullo modo vtentem. Nec causam vllam ad ipsum rerum ornatum referentem. Sed aereas naturas, & ætereas, aquæasque, & talia multa incredibilia propemodũ causis afferentem. Ita Socratis, seu Platonis sententia, Mentem quidem omnia exornare Anaxagoras statuit, sed

eum

cum ſingularum rerum cauſas affert, ad materiam, non ad Mentem eas reducit. Quare ne hic quidem rerum generandarum cauſam ſatis eſt aſſecutus, nec quantum neceſſe erat, ſcriptis mandauit. Eum ſecutus eſt Empedocles, quem efficientibus quidem cauſis magis, quam illum vſum fuiſſe Ariſtot. tradit, ſed ne eum quidem, quod ſatis eſſet, eis vſum, ſed nec in ſententia ſua conſtantem fuiſſe. Cum enim Anaxagoras principium efficiendi Mentem recte, & accommodate induxiſſet, Empedocles vno non contentus duo ſtatuit, cõcordiam, & diſcordiam. In rebus etenim non bona ſolum, ſed etiam mala, nec ordinem tantum, ſed etiam inordinationem cernebat. Quorum contrariorum vnum & idem principium efficiens eſſe non poſſe, exiſtimauit. Quamobrem duo illa conſtituit, vt vnum bonorum, atque ordinis eſſet, alterum malorum, atque inordinationis, horum videlicet diſcordiã, illorum concordiam. Quæ etſi non adeo aperte tradiderit, ſi quis tamen dictorum eius ſenſum conſideret, nec ea duntaxat, quæ balbutiendo (vt ait Ariſtot.) protulit, intueatur, id, quod diximus, comperiet, concordiam nimirum boni, ordinis & pulchritudinis, diſcordiam contrariorum efficientem cauſam ab eo poſitam fuiſſe. Itaque & illud dici poteſt, rerum efficientes cauſas bonum & malum eum ſtatuiſſe, ac primum extitiſſe, qui duplicem efficientem, etſi aliarum, & aliarum rerum, induxerit. Cuius etiam opinionis in fine duodecimi de prima philoſophia Ariſtot. meminit. Quo loco eum etiam reprehẽdit, quod cauſam efficientem induceret, qua, vt materia quoque vteretur. Quod omnino fieri non poteſt. Concordiam namque miſtionis partem eum feciſſe. Quemadmodum autem inconſtans fuerit, ex his facile poteſt intelligi. Nam cum concretione, & ſecretione res fieri, & interire exiſtimaſſet, & concordiæ concretionem, diſcordiæ ſecretionem propriam feciſſet, oportebat vt in cunctis rebus concretionis cauſa concordia eſſet, & ſecretionis diſcordia, quod tamen in multis haudquaquam contingit. Multis in rebus concordia diſcerne re, &

diſcor-

discordia veluti congregante. Cum enim vniuersum, quod sphæram nominauit, in quo elemẽta confusa esse certo tem poris spatio, putabat, in elementa discordiæ efficiẽtia, & mu nere disiungi, ac secerni induceret, tunc pristinas elemento- rum partes, quæ inter se confusæ erant, dispergi, similesque omnes in idem concrescere, & congregari oportebat, partes inquam ignis in ignem, aeris in aerem, & in ceteris similiter. Ita igitur, vt non magis discretionis, quam concretionis di- scordiam induxerit; Similique modo concordiam non ma- gis concretionis, quàm discretionis. Quippe, quæ elementa in vnum cum cogeret, sphæramque illam efficeret, ea primũ ex vnoquoq; corpore, in quo per particulas inerant, disper- gerentur. Ita incertum & inconstans de efficiente causa Em- pedoclis est dogma. Vt interim mittamus, fabulosum potius & poeticum esse, quam physicum, & si quid naturale in eo insit, id præposterum esse, quatenus efficientes causas ad ma teriam (vt dictum est) reducit. Nec vtrasq; bonas, aut boni causas, sed alteram malam, & mali causam. Quod omnino a natura est alienum, quæ cum bona sit, nil nisi bonum facere instituit. Ac si quid mali contingit, veluti monstra & interi- tus, id omne ex accidenti est, & præter illius institutũ. Fuerũt & alij, qui rerum efficientiam ad materiam retulerunt, nimi- rum ad calidum & frigidum, quæ materiæ sunt propria, non minus hoc nomine, quam Empedocles arguendi. Cũ aliam causam esse priorem oporteat, quæ hisce qualitatibus, ac in- strumentis vtatur. Et hæ quidem fere sunt de causa efficien- te veterum sententiæ. Quæ quamquam absurdæ sunt, & a ve ritate alienæ, rectius tamen earum authores senserunt, quã qui nullam inuexere. Materiã enim, ex qua res fiunt, mutari perspectum est. Simulq; etiam nil se omnino mutare, aut in seipsum agere. Sed mutante aliquo, quod diuersum sit, opus esse. Nam nec lignum ad lecticam faciendam, aut lapides, & cementum ad domum se mouent, non item terra ad stirpes edendas, sed fabro & architecto in illis est opus: semine & agricola ad stirpium generationẽ, quomodo Sole & homi- ne,

ne, in hoĩe generando. Efficientẽ aũt hanc causam, eiusq; necessitatem nemo eorum intellexit, qui vniuersa & oĩa, vnum esse censuerunt. Quorum duplex fuit ordo. Nam alij ex illo vno omnia tradiderunt, nulla in eo, quod tradebant, absurditate percepta, quod videlicet generationem absq; generãte, veluti fortuitam & temerariam inducerent, materia ipsa se ad res procreandas mouente. Alij cum statuerẽt vnum esse, idq; pertinaciter tuerentur, simulq; intelligerẽt illud vnum ex se mutari non posse, quasi quæstione hac vecti immobili, illud & immobile omnino esse enunciarunt, ne si causam mutantem diuersam inducerent, iam rerum multitudinem faterentur. Vnus Parmenides cum vnum induxisset, causam hãc attigit. Et ille quidem ea ratione, qua præter id vnum rerum ẽt ortum perspexit. Nam vt ait Theophrastus, vtraq; via ille ingressus est. Statuit enim vniuersum vnum esse, & sempiternum, & ortum rerum vnà tueri contendit. Nec quod similẽ de vtroque sententiam haberet, sed re vera vniuersum vnũ esse ratus, idemq; ingenitum & globosum, ad tuendum ortũ ex vulgi opinione, duo rerum apparentium fecit principia, ignem & terram, alterum vt materiam, reliquum vt causam efficientem. Amorem etiam dictum est ad hanc causam retulisse. In his autem, qui multitudinem rerum cõcessere, Democritus, & Leucippus atomorum authores, nullam similiter efficientis causæ mentionem fecerunt. Sed ex atomis casu, & fortuito coeuntibus tum innumerabiles mundos, tum cætera, quæ in eis insunt, procreari tradiderunt. Quorum sententia absurdissima videtur, tantum videlicet rerum ornatum, tamque admirandum in vniuerso, eiusq; partibus omnibus ordinem, casui, ac temeritati tribuere. Sed de casu, ac fortuna vtrum in rebus naturalibus insint, anque aliqua, etsi non omnia, casu, & fortuito fiant, in progressu disquiretur.

* *
*

Aristotelem quam Platonem physice magis, & rectius de rerum generationis efficientibus causis disseruisse, & quæ illæ sint. Cap. XII.

Platonis nunc & Aristotelis de efficiente generationis causa disquiramus sententias. Nam in lib. de Dogmatibus quid senserint quidem expositum est, non tamen vtrum recte, an secus, nec quid omnino de ea sit statuendum. Plato igitur cum non solum res singulas quotidie generari videret, sed & mundum aliquando procreatum arbitraretur, eius primum, tum cæterarum, quæ in eo fiunt, rerum causas efficientes tradidit. Illius quidem opificem Deum, ac patrem, aliosque deos minores, rerum autem singularum, quæ in dies oriuntur, aliam nullã communem præter ideas in Phædone, alibi vero mundi etiã animam, & naturam, vt in Dogm. explicauimus. Aristoteles vero cum mundum æternum fecisset, rerumque tantum singularum statuisset, eius nullas procreantes causas inducere coactus est, tametsi conseruantes & fouentes, rerum autem omnium, quæ in dies fiunt, non prætermisit. Ita Deũ seu mouentem primum, & omnino mentes diuinas, cœlum, & naturam in causis efficientibus posuit, non magnopere a Magistro Platone diuersas. Quinẽt Deũ cœli, ac mundanæ totius fabricæ seruatorem & custodem, a quo totum ipsum cœlum dependeat, ac omnis natura. Ac de Platonis quidem sententia, quandoquidem mundum progenitũ statuit, eius generationem in aliam causam referre, quam in Deum opificem, ac patrem rectius non potuit. Nam seu opificem & patrem diuersa esse voluerit, & opifex sit Mens suprema, per quam mundus est factus, quæque ornatum illi, & distinctionem attulit, pater vero ipsum bonum, quod est supra omnem Mentem, & a quo Mens illa proficiscitur, seu rem vnam & eandem ob diuersas rationes diuersa hæc nomina haben-

tem (magna enim est de re hac inter Platonicos dissensio) profecto rectissime constituit, & maxime etiam consentanee his, quæ de mundi a Deo creatione sacræ litterę, ac religio testantur. Imo vero his etiam, quæ ab omni antiquitate de eadem sunt prædita. Nec vero mirandum inter Platonis sectatores magnam de mundi opifice, & patre controuersiam fuisse. Cum ipse Plato nos monuerit, eius inuentionē difficilem esse, Et etiam quæ cum fuerit inuenta, vulgo enunciari, & declarari non possit. Quod quemadmodum verum sit, & quæ de eo inter interpretes controuersia, aliàs explicauimus Illud autem vtrouis modo intelligatur, recte traditum hinc intelligi potest, quod omnis fere antiquitas, ac veterum, seu Chaldæorum, seu aliorum Theologia, Mentem hanc, seu etiā eius genitorem, & patrem vniuersi opificem, & creatorem induxit. Quemadmodum apud Chaldeorum Oracula, & Mercurium Trismegistum Theologiæ veteris veluti parentem, aperte licet videre. In eo, qui inscribitur Asclepius loquens de creatione Mercurius, ita exorsus est. Principium rerum Deus, & mens, & natura & materia. Et alibi de hominis procreatione loquens, Mentem omnium patrem, vitam & naturam nominat. Mens inquit omnium pater. Cum sit vita & natura, peperit hominem sibi similem, quem dilexit tāquam propriam prolem. Chaldæi ipsi creationem omnem, rerū q; cunctarum dispositionem menti attribuerunt. Quod dogmati religionis est consentaneum, quo traditur a patre per verbum omnia esse procreata. Est autem mentis verbum proprium, vtpote patris sapientia. Nec vero alij præterquam patri, seu menti, mundi efficientia, seu creatio tribui poterat, quando ante mundum conditum, nil præter Deum existebat, qui (vt dictum est) pater est, & mens. Tantus præterea rerum ornatus aliam causam, quā mentē oīs ordinis, & ornatus authorem quomodo habuisset? Idcirco Aristoteles Anaxagoram, quod mentem omnia segregantem induxisset, supra cæteros commendauit, ac omnino est admiratus. Quæ igitur de mundi opifice & patre, siquidem ille genitus

est

est,recte se habent. Vtrum autem genitus recte positus fuerit,necne,post exquiretur. Quæ vero de Dijs minoribus ad animalium vnà cum mundo genitorum, atque humani potissimum corporis opificiū a patre, & opifice summo assumptis,dicuntur,an recte se habeant,nec ne expendendū. Nam quod per deos eiusmodi minores intelligeret, sydera videlicet cœlestia,ac Dæmones in libro de Dogmat .ostendimus. Videbitur autem fortassis hisce dijs minoribus opificium ali quod in mundi procreatione, non ita recte Plato tribuisse, eiusq; procreationem separasse, vt aliud fecerit Deus maximus,aliud ipsi Dij minores. Nec enim vlla necessitas tanti opificij eis tribuendi fuit,cum ipse per se Deus maximus ani malia omnia,& hominis potissimum corpus,quemadmodū & mundum,potuerit fabricare, Dijs illis minime adiuuantibus. Eoq; præsertim,quod humanum corporis opificium magnam in se habeat admirabilitatem, vt nil sit ferè in vniuerso,quod,vt Galenus etiam testatur,opificis magis sapien tiam,& prouidentiam ostendat. Quæ igitur ignobiliores, minorisque ponderis res, cuiusmodi sunt elementa, fabricauit,multo verisimilius est,rem omnium nobilissimam, atque etiam difficillimam fabricasse. Quin etiam elementa & ipsa denique cœlestia corpora propter hominū,ac cæterorū animalium generationem facta videntur. Cum ex illis, vt ex ma teria sint exstructa,hæc (Platone docente) procreata,vt lucerent super terram, ac per motus eorum temporibus distinctis hominum res in terris regerentur,essetque eis certus or do. Quis autem ignorat id melius,ac nobilius esse, cuius gra tia reliqua sunt comparata? Cur igitur dedignatus fuerit Summus opifex hominis corpus attrectare, & ex elementis fabricare,ea ministris suis prouincia delegata? Nec vero causa,quam Plato affert, necessaria, ac ponderis alicuius videtur,quod videlicet si ab opifice Deo maximo solo fierent, Dijs adæquarentur. Essentque ea quemadmodum Dij immortalia,& ab omni interitu liberata, quod indecorum sit, nec item fieri possit, vt rei corruptibilis summus opifex sit

M 2 author.

author. Hæc inquam causa necessitatem non habet. Nam elementa, quæ ab opifice genita ponuntur, etsi tota ipsa simul nunquam intereant, per partes tamen perpetuo mutantur, & vicissim gignuntur, ac pereunt. Totus etiam mundus, non vi sua, interitus expers, sed opificis voluntate a Platone ponitur; Cur igitur & animalia hæc quomodocunque genita sint in opificis eam ipsam voluntatem referri non potuerunt. Qui enim aliquid æternum vt sit, cum natura sua corruptibile sit, facere potest, idem certe non cogetur, vt nil nisi æternum moliatur. Quin & Plato ipse veritate veluti cogente hominis mirabile opificiū Deo summo postea attribuit, veluti cum in Timæo Deum iecur fecisse ait, ad excipiendas rerum futurarum imagines, posuisseque in eius constitutione densitatem, leuorem, perspicuitatem, dulcedinemque & asperitatem. Cum etiam paulo post inducit medullam, carnes & ossa, & omnia, omnia ab opifice ipso fabricata. Vt tandem solum humani corporis opificium admirādum in Deū ipsum retulerit. Quod etiam alibi, vt in secundo de Republ. & decimo de Legibus ab eodem est traditum. Vt cum dixit hominem a Deo factum, veluti quendam ludum, & eius generis alia. Quibus etiam addi hoc potest, quòd licet syderibus aliqua efficientia in animalium generatione tribuenda forte videatur, non tamen Dæmonibus. De qua re aliàs dicendum. Dico autem syderibus efficiētiam aliquam tribuendam, quòd re vera motu, ac lumine suo animalium procreationem, humanique corporis opificium compleat. Quod & Aristoteles postea scriptis mandauit. Sed Plato ad id non cogitur, qui mundum, eiusque partes omnes ab opifice genitas statuit. Aristoteles vero, qui nullum mundi ortum induxit, potest, ac debet rerum caducarum generationem in cœlestia corpora, ac eorum vires referre. Sed hæc Plato poetice potius, vt pleraque alia, sub fabulis scripsit, quam naturali & necessaria ratione. Quomodo & illud, quod summus opifex cum Dijs illis minoribus loqueretur, quod a naturali ratione est alienum. Illud tamen in eius sententia commendandum

dandum quod Dijs minoribus non ita efficientiam tribuerit, quasi solis efficientibusque, generantibusque causis primis. Sed vt summi opificis ministris,& veluti causis secũdis, quæ illius impulsu,& efficacitate generarent, vim illius imitantes,ac rerum rationibus ab eo acceptis omnia deinceps per illas ab eis procrearentur. Quo intelligitur rerum singularum,quæ in dies fiunt,vt animalium & stirpium, causas primum cœlestia corpora Platonem constituisse. Quod in sexto de Republ.clarius expressit,cum earum efficientiam retulit in Solem. Sed præter hæc,animam mundi,& naturam, vt alias traditum est. Ac recte quidem cœlestia,ac Solem potissimum,& Naturam, quæ Aristoteles quoque efficientes rerum causas statuit,animam autem,quæ nulla mundi est,non ita recte. Quo modo nec ideas, quibus solis nonnunquam rerum generationem attribuit. Nam quod ad animam attinet, quamquam probabile videtur mundum hunc inferiorem animatum esse, nec terram, aut aquam tot stirpium, & animantium genera ex se proferre posse, nisi anima prædita sint,quę vitam omnibus impartiatur,nullam tamen eius animam esse posse ab Aristotele demonstratum est, quarum demonstrationum efficacitas,& vis,cum de illa agemus, exquiretur. Nunc vitali,ac cœlesti calore,atque spiritu per hæc elementa fuso,omnia in eis, & ab eis procreari seminis in nonnullis ministerio, absque vlla animæ mundanæ necessitate. In ideas autem causam rerum efficientem a Platone in Phædone relatam Aristoteles tradit: sed vt exemplaribus potius quam vt causis efficientibus vti eis videtur. Quamquam in Timæo,cum de rerum initijs agit,materiamque & exemplar causas ponit,ipsi exemplari efficiendi rationem attribuit. Vt enim matri materiam, ita exemplar patri comparat, & formam, quæ in materia gignitur proli. Nulla autem esse in exemplari,seu idea potest efficientia, vt in rerum artefactarum exemplaribus patet. Quam enim domus efficienda, ea quæ in animo insedit architecti, vim possit habere? In eam duntaxat ille respicit, & ad eius imitationem domum architectatur.

tectatur. At ne hoc quidem in rebus naturæ dici potest. Si quidem natura intelligentiæ expers est, quæ, cum aliquid molitur & generat, in exemplar non respicit; Sed nec exemplar vllum est, aut idea eorum, quæ fiunt, vt in progressu docebitur. In causis igitur efficientibus numerari non potest. Naturam vero recte efficientem causam Plato statuit. Quippe quæ in rebus, quæ fiunt, cum sit, earum omnis motionis origo est, & principium. Hæc cum ita se habeant, de his causis efficientibus videtur Aristoteles rectius locutus. Nam eas tantum statuit, quæ & sunt in rerum vniuersitate, & causæ munere fungi possunt, ac re vera funguntur, nempe Cœlum, Solem potissimum, & Lunam, atque ipsam naturam. Vnum autem cum Cœlo primum mouentem, a quo illud pendet, & mouetur. Quæ & quomodo ab ea tradita sint, quæve ratione efficiendi vim eis tribuerit, alibi explicatum est. Perspicuũ autem est, & nemini dubium, rerum procreationem a cœlestibus corporibus, ac Sole præsertim pendere. Is enim cum per obliquum circulum feratur, cuius vna pars ad Septentrionem, altera ad Meridiem declinat, ad vtram partem iter suum direxerit, calore suo vitali ad gignendum idoneo rerũ ortus efficit. Quod in stirpibus potissimum cernitur. Nam primo Vere ad nos Sole accedente, terra herbarum arborũq; etiam omnis generis copia vestitur. Aĩalia etiã libidine turgent, coitumq; generandi cã maxime appetunt. Cõtraria autem omnia Solis elõgatione & absentia cõtingunt. Vt in herbis & insectis, alijsque sanguine carentibus animalibus licet videre. Illud vero etiam verissimum, Solem motu proprio ab intelligentia propria, diurno a suprema in orbem moueri. Itaque omnem eius efficientiam ab eis & prima potissimũ pendere. Sed cum a Sole, ac cæteris etiam errantibus syderibus ortus, & interitus contingunt, proque eorum diuerso motu harum mutationum sint vicissitudines, earum tamen perpetuitas, & quòd ita vicissim res oriantur perpetuo, & intereant, a primo orbis motu existit. Cum enim vno, ac simplici motu semper cieatur, obliquas illas Solis, errantiumq;

omnium

omnium motiones perpetuo continuat, vt ab omni æterni-tate extiterunt, ac perpetuo sint duraturæ. Nam quamquam per se, & Sol, & alia errantia perpetuo cieantur, non eo tamen modo quo nunc dies, ac noctes absq; cęli primi motione vicissim efficerent. Vnde magna in rerum ortu diuersitas existit. Generationis igitur & interitus earumq; vicissitudinis causam in circuli obliqui motum eiusdem æternitatis in primam lationem recte Aristoteles retulit. Rectissime tandē in primum omnium principium, a quo cœlum pendet, & naturæ. Sed quemadmodum cœlum motu suo tantam rerū diuersitatem gignat, vtrum lumine tantum ad nos (syderū præsentia) allato, an etiā alijs effluxibus, in disputationibus de Cœlo est disquirēdum. De natura autem quis dubitet quin sit omnium ortuum mutationumq; aliarum causa, quando ea perinde se habet ad naturalia, vt ad artificiosa ars ipsa. Ac quemadmodum ars efficiens est arte constantium, ita naturam naturalium esse, dicendum est. Quamquam differunt, quod ars in alio principium est, natura in eo, cuius est natura. Nec vero vniuersalis quædam est natura in vniuerso fusa, vt Stoici existimarunt, sed in rebus singulis sua cuiusque est, quæ pro ratione sua, & rerum in quibus est genere, agit. De qua paulo post est differendum. Dependet vero & hæc ipsa ab illo primo principio, ac eius veluti ministra est, cuius præscriptum, ac leges in actionibus omnibus suis perpetuo obseruat. Sed de natura in progressu. Hæc igitur de efficientibus rerum naturæ causis sint dicta. Reliquum esset, vt de fine ageretur, qui altera est earum causa exterior. Sed de eo differendum, cum quæ ad naturam attinent explicabuntur: siquidem ostendetur eam non temere, nec fortuito agere, sed alicuius finis gratia omnia. De exemplari igitur causa, quam Plato posuit, disquiramus.

Recte ne a Platone inuecta fuerit exemplaris causa, & perperam, atque iniuria ab Aristot. refutata, an contra.
Cap. XIII.

EXemplarem causam, quam Socrates, & Plato ideam nominarunt, ab eis inuectam, & quibus de causis, ab Aristotele reprobatã, contra quam Simplicius, & alij complures existimarunt, in libro de Dogmatibus copiose ostendimus. Simulque etiam, quæ essent ideæ, & quarum rerum, quove in loco a Platone positę. Nam nec omnium esse, nec vbique ratus est. Hæc cum sint abunde explicata, illud nunc disquirendum, recte ne a Platone inuectæ fuerint, & perperam, atque iniuria ab Aristot. refutatæ, an contra. Ita enim perspicuum fiet, vtrum in rerũ naturalium causis numerari debeant, necne. Videtur autem Plato suo de mundi, ac animalium, cæterarumq; rerum procreatione dogmati consentaneè statuisse. Absolute item (si ipsam per se veritatem spectemus) recte, ac pie. Aristoteles autem naturalis magis, vtpote suum de mundi æternitate decretum secutus. Nam qui mundum æternum, & nullo vnquam tempore procreatum statuit, nullã idearum, seu exemplaris causæ, ad cuius similitudinem res fiant, necessitatem habet. Opifici quippe ideæ necessariæ videntur, vt in eas intuens earum præscriptum in efficiendo sequatur. Quod in artificibus patet. Quamobrem Plato, qui temporis initio genitum mundum ab opifice induxit, eundem opificem Mentem supremam statuit, ideas rerum in ea collocando, quas in fabricandis illis fuerit imitatus, ab re fecisse minime videbitur. Sunt vero, & aliæ causæ, quibus ideas induxit, vt ob rerum scientiam, ac definitiones, quæ rerum singularium, & caducarum esse non possunt, sed æternarum, & vniuersarum, cuiusmodi sunt ideæ. Item quod vera & princeps causa idea sit, cur quidque ita habeat, nec alia potior possit afferri. Præterea

terea quod aliquid esse oporteat,quod vera intelligentia ap prehendatur. Quæ rationes & si quæ aliæ sint, quibus idearum necessitas ostendatur, quantum momenti habeant, ex pendendum: simulque earum vis, & efficacitas, quibus ab Aristotele reprobantur. Ita enim vter eorum rectius statuerit intelligetur. Videntur autem Aristotelis rationes firmiores,& quæ minus possint refelli. Quibus item,quæ a Platone allatæ sunt,tollantur. Ac quoniam de exemplari causa nunc agitur, id potissimum considerandum,magna ne necessitas fuerit ideas inuehendi, vt rerum gignẽdarum essent exemplaria,possintque ne res fieri absque exemplari. Aristoteles igitur nullam earum ob hanc rem necessitatem esse ait,quin potius inanem quandam sententiam esse,& translationibus poeticis similem. Dicere (inquit) eas exemplaria esse, & reliqua illas participare, inaniter est loqui, & translationibus poeticis simile. Quid est enim,quod ad ideas respiciẽs agat? Insuper & esse quoduis, & fieri potest,etiam si ad similitudinem illius tantum fiet. Et cætera,quæ sequuntur. Quo in loco primum participationem, qua ideas cætera participare Plato tradidit,reijcit,cum non sit modus aliquis,quo ea participatio intelligatur, vt inane potius quiddam, ac poeticũ dici debeat, quam physica traditum ratione. Quæ enim & cuiusmodi participatio hæc possit intelligi? cum præsertim cum ideis hisce nomine tantum, non item ratione, & essentia res singulæ,quæ illas participare probantur,conueniant. Participant animalia omnia animalis rationem,& omnes homines hominis, quod de hominibus singulis homo, & de animalibus animal vniuocè dicatur. At si æquiuoce diceretur,nulla eorum esset participatio. Illud etiam poeticum videtur, exemplaria in rerum naturalium generatione ptoponere,perinde,atque si naturam artificem aliquem animo esse fingamus,qui exemplari proposito,id intueatur,ac intuẽdo agat,quod agere instituit. Patet autem in omnibus, quæ generant,nil esse quod in exemplar intuens generet. Singularia enim sunt quæ generãt, quemadmodum & quæ generantur,

rantur,quæ nullo exemplari perſpecto, ſed per naturam tan tum inſitam,quæ generandi principium eſt,generant. Quod in animalibus brutis, ac ſtirpibus maxime eſt manifeſtum. Nam de hominibus, qui mente præditi ſunt, ac rationem participant,quique conſulto agunt,ac conſiderant,cogitari forte id poteſt. Sed ne hi quidem vllum in generando ſibi exemplar proponunt. Multo igitur minus bruta rationis ex pertia,& inconſulto omnia agentia. Quod ſi nunc exemplaris in rerum ortu nullus eſt vſus,nullum etiam anteactis tem poribus fuiſſe credendum eſt. Nec vero quæ natura fiunt, ad numeros quoſdam ordinatos fiunt, non temere, aut fortuito,idcirco ad exemplaris ſimilitudinem gignuntur. Poteſt enim quidem natura ordinem in motu ſuo ſeruare, vt primum ſecundus ordine certo conſequatur, atque hunc protinus tertius,donec motus finis accedat, ſed non tamen ratiocinatione id agit, cuius penitus eſt expers. Qua in re ab arte præter cætera dicitur differre. Hæc enim facultas quædam eſt, quæ ratione in operibus ſuis vtitur. Quare & exemplar ſibi poteſt proponere, quod natura non poteſt. Nec vero cum Stoicis putandum,naturam artem quandam diuinam eſſe, quæ nil citra rationem efficiat, omniaque ad exemplar determinatum moliatur: ita enim & bruta,& omnia viuentia rationem participarent,rationeque omnia agerent,& molirentur. In quibus tamen cum ſit agendi conſtantia, ac determinatus ordo,nulla tamen omnino ineſt ratio, ſed natura duce ducuntur. Ac de his quidem in progreſſu,cum de natura agetur. Perſpicuum igitur eſt,quomodo fruſtra & inanis,ac poetice potius,quam phyſice exemplaria hæc inue hantur. At ſi ideæ concedantur, quibus etiam ſimilia fiant, quæ procreantur, non idcirco ad earum ſimilitudinem hæc fieri Ariſtoteles tradit. Nam & quod generat in eos intueri oporteret,& poteſt fortuito aliquod alicui ſimile fieri,quod tamen ad eius ſimilitudinem non fiat. Cum præſertim etiã his,quæ non ſunt ſimilia aliqua efficiantur. Quibus cum nõ ſint,nihil aſſimilatum,nec in ea aliquem in generando intuitum

tum

tum aliquis dixerit. Atque hæ quidem rationes efficaces (vt patet) videntur. Quæ autem adiectæ sunt, non adeo efficaces. Veluti cum ait, exemplaria plura eiusdem futura, vt hominis, cum sit animal, & bipes, & homo, omnium horum. Quin etiam ideas non sensilium solum, sed etiam idearum exemplaria fore, vt ideæ hominis eam, quæ est animalis, & omnino specierum genus. Quarum rationum hæc vis est, quod homo si participatione ideæ alicuius sit homo, hominis profecto ideæ participatione erit homo, siquidem eius dem nominis idea, & id, cuius est, sint oportet. Cum autē & sit animal, animalis ideæ participatione erit animal, eo demque modo bipes cum sit, bipedis ideæ participatione bipes erit. Plures igitur ideas participabit, vniusque (vt dictū est) plures ideæ habebuntur. Quæ etiam inter se ita erunt affectæ, quod vna alteram anteibit, veluti animalis idea eam, quæ est hominis. Erunt rursus ideæ etiam idearum, quoniam in illis species sunt, & genera, atque species genera participant, veluti hominis idea animalis ideam. Illa igitur (animalis scilicet idea) hominis erit, quippe cum eius participatione sit homo. Sed nullum fortassis incommodum erit, fateri, hominis ideam, atque exemplar, in se ea complecti, quæ eius complent naturam, & quæ in singulis hominibus cernuntur: quare cum homo sit animal, & bipes, horum ideas in se veluti habere, virtute scilicet quadam, quomodo formæ superiores nonnullæ continent inferiores. Qui enim fieri potest, vt cū hic homo animal sit, & bipes, non etiam eius idea hæc ipsa intra se coerceat? Nam nisi in se haberet, non ad eius profecto imitationem singuli homines gignerentur. Nec propterea simplex non erit idea, quomodo rerum essentiæ simplices esse statuuntur. Nec vero necesse est, vt ideārū sint ideæ. Nam in hominis quidem idea animalis, & bipedis rationes inerunt, sed non eius erunt ideæ, quippe, quæ eorum sunt tantum, quæ fiunt, eodemque etiam nomine vocantur. Illud vero etiam fortasse non ita eorum, quæ fiunt ideas, & exemplaria statui, vt naturæ, aut animali generanti proposita esse, &

se, &

ſe, & ab eis reſpici oporteat. Sed in mundi ortu primo cum in animo eſſent opificis, ipſa videlicet eius æterna intelligentia, ad earum præſcriptum condita omnia fuiſſe, quæ tunc hanc legem acceperunt, vt eadem penitus ratione, & modo deinceps gignerentur, nullo quod generant eas intuente. In ſeminibus igitur eam ſimilitudinem inſitam eſſe, quæ ſubinde propagetur, ob eamque cauſam ad exemplarium imitationem omnia generari. At hoc Ariſtoteli non placet, mundum videlicet ortum eſſe, & aliquid quod antea non eſſet, opificem condidiſſe. Quocirca nulla ſimpliciter idearum, ſeu exemplarium ei viſa eſt neceſſitas. Qui ſi cum Platone genitum mundum ſtatuiſſet, nulla eas ratione reprobaſſet. Sed in principijs tamen naturalibus, quæ quotidie ad res generandas conferunt aliquid, non idcirco numeraſſet. At cætera videamus, quæ in eas ab eo ſunt ſcripta. Quoniam in Phędone ſcriptum eſt, ideas cauſas eſſe, vt res ſint, ac generentur: vtrumque refellit. Ac primum quidem docet, cauſas non eſſe vt ſint. Hoc enim eſſe cuiuſque ſubſtantiam, ſeu eſſentiam, quæ in re quaque ineſt, nec ab ea abiuncta eſt. Ideas autem abiunctas eſſe, nec in rebus ſingulis ineſſe. Non eſſe igitur id, per quod ſunt, aut earum eſſentiam. Quæ definitione explicatur, cuius etiam gratia ipſas inuexerunt. Vt autem res fiant, cauſam non eſſe, quod etſi eſſe concedantur, nullam tamen rem factam iri, niſi agens ſit, quod moueat, & ex materia, quam mouet, rem gignat. Multa item fieri, veluti annulū & alia artificioſa, quorum ideas nullas induxerunt. Efficientem igitur cauſam ideas non eſſe, duobus modis Ariſtoteles probat, & quod aliud efficiēs præter eas requiratur, & quod abſque eis multa efficiantur. Sed ne hæc quidem ratio vllum afferre incommodum videtur. Nam poteſt generans cauſa particularis requiri, & vnà idearum quoque neceſſitas. Quo modo & cęli vis in generatione omni eſt neceſſaria, etſi abſq; hoc, aut illo generante nil fiat. Arte autem conſtantes res etſi ab ideis illis abiunctis, quæ in primi opificis ſint mente (Platonis ſententia) non fiant, ab illis tamen fiunt, quæ in

artifice

artifice insunt. Nec enim artifex si ex arte operetur, absque idea & exemplari, quod quidem ars est ipsa aliquid molitur, Illa efficacior ratio, qua vt sint in formæ genere, causam non esse ostendit, siquidem re vera in eo cuius causa est inesse, nec separatum oportet. Quomodo enim rei essentia, & forma ab ea possit abiungi vt ipsa per se consistat? Illud autem nulla ratione ab Aristotele afferri debuisse videtur. Forsitan ideas vt res sint causas videri posse, quomodo albus color mixtus cum corpore mixti eius corporis est causa. Nam nec Plato, nec aliquis ex eius discipulis hoc vnquam excogitauit, ac ne excogitare quidem potuerunt, vt ideæ cum rebus quarum sunt, miscerentur, cum separatas illas, & per se subsistentes posuissent. Cuius opinionis absurditatem ipse quoq; Aristoteles agnouit, ac facile infirmari posse tradidit, cũ multa sint incommoda, atque etiam impossibilia, quæ eam consequantur. At nos commonefecit, aliquos fuisse hac sententia, qui putarunt rem quamque id esse, quod est, quod aliquid ei mistum temperatumq; sit, propter quod est id, quod est. Anaxagoras enim ex omnibus similaribus rem quamq; temperari cum traderet, ex eo quod plurimum esset in mistura, rei substantiam esse videri, statuit vt vnaquæque res id sit, quod est, quoniam cum ea quædam alia temperatur. Quin & Eudoxum Platonis familiarem idearum ipsarum mistione res constare existimasse. Quare mirandum videri non debet, si hanc quoque sententiam (tametsi Platonis non fuit) attigit, & reprehendendam putauit. Quæ autem eam sequãtur impossibilia ipse quidem non recensuit, sed facile possũt ostendi. Eorum enim quæ miscentur naturam habere ideas oporteret, si earum mistione cætera constarent, nullaque esset earum participatio, quam per mistionem. Corpora igitur essent, & contraria, cum per contrarietatem corporum mistio efficiatur. Diuiduæ item & patibiles, quomodo & cætera, quæ permiscentur. Quin & tota idea in quibus miscetur si inesset, in multis idem numero inesset, sin autem eius portio, non ad totius ideæ, sed ad partis imitationem res fierent,

rent, ex parte ideæ non tota constabunt. Non item erunt exemplaria, quandoquidē imaginibus suis exemplaria nunquam miscentur, vt ad earum similitudinem efficiantur. Interitui etiam obnoxiæ essent, & mutationi omni, quomodo res singulæ, quibus essent permistæ. Hæc igitur, & alia eius generis impossibilia hanc sententiam sequuntur. Quare ideatum participationem permistione non fieri, nec vllo modo eas permisceri, & propter mistionem causam esse, vt res sint, non ab re Aristoteles indicauit. Sed nec (inquit) aliquo eorum modorum, qui afferri solent, ex illis res constant. Sunt autem ex materia & forma, ex vtraque ex efficiente, ex imperfecto, ex contrarijs, ex eo, quod prius fit, quorum nullus ideis potest accommodari. Nam vt ex forma, traditum est non esse, multo minus vt ex materia, aut ex vtraque, non itē ex efficiente. Quis autem ex imperfecto diceret? aut ex contrario? Imperfectæ enim essent ideæ, & rebus participātibus imperfectiores, quæ etiam in eis permanerent, quomodo pueri substantia permanet cum vir efficitur. Contrarias autem non esse antea diximus. Cum igitur nec causa sint, vt res sint, aut fiant, nec exemplaris etiam munere fungantur, superuacaneè videntur, & frustra inductæ. Quod de rerum æternarum etiam ideis Aristoteles tradit, siquidem nullum vsum in eis habent, cum nec motum eis vllum, aut mutationem afferant, quippe quæ sua natura in orbem perpetuo vertantur, & si mouentibus habent opus, non tamen ideis, verū animis, aut intelligentijs. Quamquā non propter motum a Platone fuerint inuectæ, nec vllam cœlestium corporum motionem eis vt mouentibus attribuit. Sed Arist. nullā causam prætermittit, qua censere aliquis possit eas inuentas, vt cum omnes refutauerit, has commētitias esse appareat. Cum autem & propter scientias, quæ de singulis, ac sensilibus haberi non possunt ideas eiusmodi inducerent, hanc similiter causam refutauit. Quod eorum omnium, quorum scientia sint, ideas hoc modo esse oporteret. Cum tamen multorū sciētiæ habeantur, quorum nullas statuerunt ideas, veluti artificiosorum.

forum. Quæ ratio vt perspicua magis sit, paulo latius Platonis de re hac sententia explicanda. Censuit igitur vbi rerum sensilium rationes ita perceptæ sunt, vt eas animus scientia contineat, in eo rationes eas exquisitiores esse, ac perfectiores quam insint in rebus ipsis sub sensum cadentibus. Hoc igitur, quod exquisitius est, ac perfectius, ab ipsis sensilibus accipere non posse, sed nec animum ipsum ex se effingere, ac a re nulla mutuari, nisi fallax sit, & mēdax, qui quod nusquā sit concipiat. Ab alia ergo quadam perfectiore, ac præstātiore natura illud desumi, atque id esse ideam a rebus sensilibus abiunctam. Quare eius beneficio scientiam de ijsce haberi. A rebus autem sensilibus scientiæ propriam perfectionē, ac exquisitum illud sumi non posse, quod infinita sint, & interminata, caduca item nec sempiterna. Cum scientiæ ratio terminis suis claudatur. Quin & manifestum esse rerum singularum scientiam non esse, cum nec geometria huius sit æqualis, & commensurabilis, nec medicina huius sanitatis, sed hęc simpliciter sanitatis, illa æqualis & commensurabilis. Ita igitur & scientiarum ratione ideæ inducuntur. Quem etiā modum, & viam Aristoteles nullā putauit, quod si hanc ob causam inducendæ sint ideæ earum etiam rerū poni oporteret, quarum tamen nullas ponebāt, nempe rerum arte factarum. Et hoc quidem recte. Nam ars nulla singularium proprie est, etsi in singularibus operetur. Nec enim ars lignaria huius, vel illius sedilis est, aut scamni, sed simpliciter sedilis, & ita in cæteris. Quamobrem, aut rerum arte factarum ideas ponere oportebat, aut nullarum. Nisi forte respondeatur harū ideas in mente artificis inesse, non autem illas quidem immutabiles in summi opificis intelligentia. Sed hoc non videtur dici posse, cum hæc vniuersalia, in quibus ars versatur, æterna sint, nec in cuiuspiam animo (Platonis sententia) esse possint, nisi ex naturis alijs, quæ re vera existunt, desumpta. Nec vero efficaciorem eam rationem Aristot. tradit, qua ideæ inuehuntur, quod vnum in multis sit, ac de multis dicatur. Quoniam & negationum eodem modo esse oporteret, quarum

rum tamen, cum non sint, nullæ ideæ sunt positæ. Quæ imputatio non leuc (vt patet) momentum habet. Nam si idea idcirco est, quod de multis hominibus aliquid dicitur, quod ab eis est diuersum, ac sempiternum, quia semper etiã dicatur, cum negatio quoque vna de multis, ac de non entibus dicatur, ab eis, de quibus dicitur, diuersa, semperq; eadẽ maneat, idea eorum proculdubio erit. Verbi gratia omniũ, quæ sunt extra genus humanum, quæ illis eam, quæ non hominis sunt, rationem largiatur. Siquidem nõ minus ea ratio, quæ hæc tam multa non homines sunt, vnum quidpiam est in ipsis, quã ea, qua homines eo ipso nomine sunt in hominibus. Iam vero si negationum ideæ conceduntur, multa incommoda consequentur. Nam & genere discrepantiũ vna erit idea, verbi gratia, lineæ & numeri, canis & equi, cum hæc omnia sub non homine comprehendantur, & indeterminatorum infinitorũq; prioris item & posterioris, quorũ nullas ideas esse arbitrantur. Cum autem & rerum caducarum ideas esse negarent, horum quoque fieri vt sint, alia ratione, qua eas probabant Aristoteles subijcit. Ratio erat ex intelligentia. Nam cum hominem, aut animal intelligimus, existens aliquid intelligi, nec tamen vllum singulare, quod singularibus deletis eadem permaneat intelligentia, vniuersale igitur aliquid, & ab eis diuersum, quod quidem est idea. Sed patet hac ratione fieri, vt corruptibilium & mortalium existant ideæ, cum illa quoque intelligentia apprehẽdantur. Falsum enim est, singularia non apprehendi, & cum multi sunt, eorum intelligentiam non remanere. Nam rerum etiam absentium, & pereũtium memoriam non malè seruamus, eademque intelligimus, quia & ea, quæ numquam fuerunt, veluti hippocentaurum.

Rerum naturalium quis finis, anque a Platone, & Aristot. recte traditus, & ab eorum vtro rectius, & magis accurate explicatus. Cap. XIIII.

Quæ ad finem in vniuersum & in genere, quatenus rebus omnibus seu naturæ, seu artis, seu etiam alijs communis est, attinent, in libro de causis traduntur. Quæ autem rerum naturalium, quarum principia, & causæ explicantur, propria sunt, cæteris principijs & causis pertractatis, nunc sunt tractanda. Videndum igitur quis & cuiusmodi rerum naturalium finis, anq; a Platone & Aristotele recte traditus, & ab eorum vtro rectius, & magis accurate. Nam cæteri, aut nullo modo, aut vix eum attigerunt. Qui enim sola materia contenti, nullam efficientẽ causam induxere, nullam etiam finis mentionem fecerunt, quippe finis nullus quæri, aut tradi potest, vbi nulla, quæ eũ propositum finem habeat, cuius gratia suas moliatur actiones, effectrix causa inducitur. Taletem igitur, Diogenem, Anaximenem, Heraclitum, & Anaximandrum, qui efficientem causam nullam agnouerunt, finem quoque ignorasse, nec inuestigasse necesse est. Democritus autem, qui in casum omnia fermè retulit, vt ex athomis temere, ac fortuito cõcursantibus res naturæ procreari, tradidit, non ignorasse solũ, & prætermisisse, sed negasse etiam aperte est visus. Cæteri, qui de natura disseruerunt, aliquo quidem modo cum attigerunt, nemo tamen eo, quo oportebat, modo explicauit, in principijsq; & causis numerauit. Nam Anaxagoras, & Empedocles bonum quidem quod finis habere solet rationem, in principijs collocarunt, hic amicitiam, ille mentem, sed vt efficientem causam, non vt finem, cuius gratia agens ageret. Amicitiam nempe vt cogeret, & quæ dispersa sunt in vnum omnia conciliaret, Mentem vero, vt res in vnum ab æternitate confusas, & inter se permistas segregaret, atque vt hanc, quam

N cer-

cernimus,distinctionem & ornatum induceret. Quomodo autem finis,vel hoc,vel illud esset,neuter eorũ tradidit. Porro hæc, quæ de hotum philosophorum sententia & opinione nunc recensemus, tum in libro de Animal. & respiratione,tum alibi Aristot.prodidit. Nec enim eum, cuius gratia instituta est, finem respirationis ab aliquo traditum, nec in eum,qui in illis cernitur vsum,musculos esse fabricatos,sed cum tales temere, aut materiæ quadã necessitate essent conditi,vsum deinde eorum fortuito inuentum.Nullam insupet causam allatam, cur in vniuerso superum locum ignis, inferum terra peteret,nisi quãdam necessitatem grauibus leuiora ad extrema petentibus. Sed non hi tantum rerum natura finem non explicarunt, verum nec qui vnum & ens induxere,ac principia fecere. Nam substantiæ quædam causam vniuersalem tradiderunt,sed non huius,aut illius gratia, aut esse,aut fieri eam ipsam,vt Aristoteles testatur, voluere. Cum autem ex his Plato videretut fuisse, quem tamen finem minime prætermisisse in lib. de Dogmatibus tradidimus, omnes causas,& principia ab alijs partim tradita, partim non tradita in primi libri Metaphysices calce conclusit, vt Platonem (Alexandro authore) minuerer,qui causas quidem,sed non distincte,ac perfecte vniuersas tradiderat. Quod tamen ad finem attinet,tum vniuersi generationis,tum cæterarum rerum,quæ subinde oriuntur,traditum ab eo ostendimus. Ac illius quidem recte,siquidem genitum est. Nam quid aliud, quam Dei bonitatem eius generationis finem fateri rectius poterat? Nec minus recte cæterarum. Siquidem cuiusq; rei ortus,cuiusque bonum & optimum, quoniam videlicet ita fieri præstitit. Opifex quidem summe bonus, nullius rei indigens, bonitatisq; omnis fons inexhaustus, in quo nulla inuidia esse potest; Ob quam communicandam bonitatem nil aliud facere amplius poterat,quam mundum? Quam si non communicasset,alicuius inuidiæ particeps visus fuisset. Siquidẽ inui di videtur, non solum de alienis bonis dolere,verum etiam cum benefacere multis possit,ab eo beneficio abstinere.

ſtinere. Atque hæc eſt de mundi ortus fine in Timeo a Platone allata ratio. Optima illa quidem, & quæ refelli non poteſt, ſi modo ortus ponatur, nec temere, ſed ab opifice. Nam cum opifex intelligens fuerit, ipſe videlicet intellectus, aliquem ſibi finem in mundo generando propoſuerit neceſſe eſt. Nec enim Mens vlla etiam in mortalibus hominibus temere agit, & inconſulto. Multo igitur minus illa, a qua omnes dependent. Finis autem aliquis eſſe cum debuerit, nullus (vt dictum eſt) eſſe potuit, quam eius mentis opificis bonitas, quam eo modo communicare oportebat, alicuius rei productione, quæ opificis ipſius quoddam veluti eſſet ſimulachrum. At vero ipſarum rerum genitarum finis non minus (vt diximus) in Phedone recte eſt poſitus, ſuum cuiuſq; rei bonum. Nam cum finis in genere boni habeat rationẽ, quid aliud finem quarumcunq; ſtatuerit aliquis, quam ſuum cuiuſque bonum. Quippe illius gratia vnaquæq; res genita videtur. Veluti hominis bonum fęlicitas cum ſit, & ea in contemplatione maxime poſita ſit, eius gratia genitum eum dicemus, tumque finem aſſecutum, cum ad hanc contemplationem peruenerit. Ita ſtirpium bonum, rei ſimilis eſt procreatio. Earum igitur finis, quem tunc adeptas dicemus, cum in ea actione verſantur, ſibique ſimile procreant. Eodemq; modo in cæteris, ſeu totis, ſeu in partibus. Vnaquæque enim tum ſtirpium, tum animalium pars ad finem aliquem comparata eſt, quæ ſuum cuiuſq; bonum eſt, propria videlicet actio & opus. Hæc autem, quæ Plato vix attigit, Ariſtoteles vberius proſecutus eſt, huncque rerum ſingularum finem diſtincte magis explicauit, & quemadmodum omnia ad vnum ſupremum referrentur, propriumque etiam haberent, quem alia vna actione, alia pluribus aſſequerentur. Mundi quidem ortus nullum ſtatuit finem, quippe quem ortum negauit, ſed cœleſtis motionis, quæ continuatur, & omnino omniũ rerum ſupremam Mentem, ac eius bonitatem vltimum finem eſſe voluit, vt in libro de Dogmatibus oſtendimus. Quæ omnia & rectiſſime ab eo ſunt tradita, & cum magiſtri dogma-

te consentanea. Nam si cœlum (vt tradidit) mouet, quæ aliã esse motionis eius causa præter eius bonitatem potest? & omnino ipsummet potest? Hæc enim propter aliud quid a se diuersum, siquidem nil ea præstantius a quo ad mouendũ, vt optimo quodam induci possit. Nam licet propter rerum caducarum ortum cœlum moueatur, idque ab Aristotele, & Platone traditum sit, non ea tamen est eius motionis præcipua causa. Quis enim sibi in animum posset inducere, tãtam cœlorum molem, tamque admirabilem fabricam, quantam & qualem ne intelligentia quidem assequi quis possit, inenarrabilis, atque etiam incomprehensibilis velocitatis motu a suprema mente perpetuo conuerti, eius rei tantum gratia, quæ vix punctum quoddam illius habita ratione censetur? Quæq; dignitate, & pstantia mole illa nobilissima tãto est inferior, quanto inferiorem locum, quem illa accepit? Alius igitur finis præstantior sit necesse est, propter quem mens illa diuina ad mouendum excitetur. Nil autem esse præter eam potest, ad quam vt rerum, & bonorum omnium extremum omnia referuntur. Vtrum autem finis tantum, an etiã efficientis rationem Mens illa habeat, quod maxime inter philosophos est controuersum, alibi exquirendum. Illud vero monendum, hunc finem eius generis non esse, qui actione aliqua acquiratur, cuiusmodi multi fines habentur, qui propter actionem, aut vnam, aut plures existunt. Veluti homo generationis eius est finis, & domus fabricationis. Quomodo enim actione aliqua, aut motu acquiri possit, qui actionem omnem & motum, & omnino omnia ab æternitate antecedit, & a quo omnia proficiscuntur? Quod genus finis Aristot. animaduertit, & in immobilibus eum esse negauit, quippe quæ immobilia cũ sint, ac æterna actione nulla, aut motu possunt acquiri. Alius igitur finis est, qui non animo solum, & cogitatione, vt alij fines, sed etiam re ipsa id, quod est ad finem anteit. Hunc Aristoteles appellauit finem cui, cum alterum dixisset gratia cuius. Illum quippe, non hunc vere finem dixit: veluti domus ædificationis est finis, gratia cuius

cuius ædificatur,exiſtit,tutela ab imbribus ventis,& Sole:homo autem,cui domus paratur,finis cui, vt in libro de cauſis optime expoſuimus. Ita homo reipſa ędificationem antecedit,cum domus ſequatur. Eſt igitur mens illa ſuprema finis, cui cœlum ipſum, ac omnia mouentur. Siquidem propter eam ab ea mouentur. Ita mens illa non aliorum ſolum, ſed ſuiipſius finis dicitur. Cumq; hic finis omnium ſupremus, ac communis ſit, videamus quis cuiuſq; rei naturalis proprius ab Ariſtotele poſitus ſit. In hoc autem quemadmodum & in reliquo cum Platone magiſtro conſenſit, bonum ſcilicet & optimum cuiuſq; finem eſſe, pro naturæ ſuæ genere & cõditione. Hoc autem (quod ille ſatis non docuit) in actione poſitum eſſe,& in nonnullis vna actione,in alijs pluribus ineſſe. Quod quidem vnum habeat inquirendum. Secus enim habere res videtur. Nam perfecti & optimi rationem finis habet,quod in actione,ſeu operatione,cũ accidens ſit quod dam, eſſe non poteſt. Ab eo etiam, cuius eſt, proficiſcitur. Non igitur eo perfectius, quippe cum cauſam perfectione nũquam effectus anteit. Sed aut æquè, aut minus perfectus. Non igitur finis actio eſt, aut id cuius gratia. An vero finis perfectio eſt,quod habentem perficiat, ſitque id quod agit tum cum agit longe magis perfectum, quam cum oriatur. Ita vnumquodq; operis ſui gratia eſſe ab Ariſtot. ſecundo de Cęlo traditur,quod vnumquodque,cuius aliquid eſt opus, a natura comparatum eſt,vt in eo verſetur, ſiquidem abſq; eo imperfectum quid eſt,& veluti ſuperuacaneum. Non eſt igitur operis illius gratia ipſius per ſe, ſed quatenus ab eo perficitur,& tale re vera exiſtit. Quod abſque opere equiuoci tantum tale eſſet. Nam vnumquodque opere ſuo definiri in quarto Metheorum traditur. Patet autem in omnibus, ſeu artibus,ſeu ſcientijs, quarum eſt opus, illius gratia eas eſſe. Sed videndum quæ rerum naturæ actio, & quomodo aliæ vna actione, aliæ pluribus finem adipiſcantur. Quomodo etiam finis actio ſit, ſi per actionem comparatur, itque potiſſimum,de quo eſt ſermo,qui in actione eſt poſitus. Nam

alium esse finem, qui actionem consequitur, eiusque est terminus antea dictum est, veluti domus ędificationis. An vero actione dicitur comparari, quoniam in suo fine res non est, cum agit, idque opus, cui a natura destinata est, efficit? Quãquam igitur nullum opus consequatur, ipsaque actio finis sit, in fine tamen per actionem dicitur, atque per eam eum adipisci. Nam perfectionem suam tum habent, quæ earum est finis, quippe quę si quod optimum est, & perfectissimum maxime assimilantur. Est enim illud non solum in actione perpetua, verum actio ipsa, seu actus purus. Ita vnumquodque actu quo magis erit, eo maiori similitudine ad illud accedet. Quod si quis objiciat, rem tum perfectam esse, cum formam suam accepit, vt secundo Physicorum est traditum, non igi turin actione perfectionem positam, nec omnino actionem finem esse, aut per eam acquiri. Dicendum perfectam quidem esse perfectione, & entelechia prima, non tamẽ secunda, nisi opus, seu actio sequatur, quæ illius est propria. Entelechiam autem, seu perfectionem, aliam primam, aliam secundam esse Aristoteles docuit. Quod ad singularum naturæ rerum finem, seu opus attinet cœli, vt ab eo exordiamur, opus & actionem motum esse Aristoteles censet. Cuius cœli cum multæ sint partes, multæq; sphæræ, aut sydera, alia vna, alia duabus, pluribus alia motionibus ciētut, quod eo modo finem suum quodque adispicatur. Vno autem aut paucioribus omnino motibus moueri ad finem adipiscendum, prout quod quam proxime ei, quod optime se habet, coniungitur. Nam ei finem suum scimus absque vlla motione inesse. Est autem Deus Optimus, Maximus, ac suprema omnium causa, quæ nullo modo mouetur, nec vlla opus habet actione, vt finem suum acquirat, siquidem ipse est finis, tum sibi, cum cæteris omnibus. De qua tamen dubitatio est, cum in actione semper (vt dictũ est) versetur, in qua eius præstantissima perfectio est posita. Quod & Aristoteles confirmauit cum eo axiomate secundo Cœli posito. Vnumquodque, cuius est aliquod opus, illius gratia esse, subiecit, Dei actio-

actionem immortalitatem esse. Quasi illius gratia Deum esse vellet, vt scilicet vita beata, & immortalitate fruatur. Quod quamquam Simplicius de cœlesti corpore interpretatus est, cuius actio sit motus sempiternus, ad Deum tamen ipsum magis accommodatur: siquidem cœli actio immortalitas proprie non est, quemadmodum Dei, vt etiam duodecimo de diuina philosophia optime traditum est. Vita (inquit) sempiterna est, mentis enim actio vita est. Ille verò actio est. Illius autem per se actio vita optima, & sempiterna. An verò dicendum Dei quidem actionem esse, quæ est ipse Deus, atque eius actionis gratia esse, siquidem ipse propter se est, nec ad aliud refertur. Sed eam actionem motum non esse, quo ipse moueatur, quippe qui omnino immobilis sit. Itaq; bonum suum, & finem illi absque actione, hoc est, motu inesse. Quomodo cæteris inest vno, aut duobus, aut pluribus motibus, quo propius, vel remotius ad eum accedunt. Perpetua enim in actione Deus versatur, siquidem ipse actio est, nec tamen mouetur, vt perfectionem suam, ac bonum acquirat, aut conseruet. Cœli autem actio motus est, quo perpetuo conuertitur, per quem perfectio ei inest, quomodo & cæteris corporibus. Est enim motus perfectio, seu entelechia corporis, quod mouetur. Cum autem orbis primus proxime ad mouentem primum accedat, vnico tantum mouetur motu, cæteri, quo lõgius recedũt, pluribus, eaq; ratione, & modo finem suum, ac bonum assequi, ac seruari Aristoteles censet. Quod quamquam probabiliter, ac continue dictum est, in Sole tamen, & Luna veritatem non habet, quippe, quæ paucioribus motibus, Sol que potissimum, quã cæteræ errantes (vt Astrologi tradunt) mouentur, & tamen Luna omnium sententia a primo longissime abest, Sol longius, quam aliqua, aut etiam omnes præter Lunam ipsius Aristotelis opinione. Minime igitur cæteri bonum suum motione sola participant, quod & ille videtur fateri. Quin & in orbe sublunari terra omnium a cœlo remotissima non mouetur, quam tamen hac ratione pluribus motibus cieri,

atque ita bonum suum adipisci oportebat. Sed ait ille, quædam esse, quæ ne pluribus quidem motibus id bonum participare perfecte possunt. Quomodo & in corporibus, quorum aliqua cum sint, quæ vna actione sanitatem assequerentur, alia duabus, alia pluribus, alia tamen etiam esse, quæ nullo modo ad eam perfectam possint peruenire. Hæc vero si ita habeant, Soli in perfectione, ac statu optimo postremus in syderibus locus debebitur, quod nullo modo videtur concedendum. An Aristoteli absurdum hoc non est, qui ex stellarum, & orbium situ earum nobilitatem, ac perfectionem metitur, eoque nobiliores, & optimi magis participes facit, quo primo sunt propinquiores. An hæc ab eo tanquam necessaria sunt tradita, verum probabilia, & quorum nulla potior ratio possit afferri. Ideo de harum quæstionum pertractatione initio se excusauit, tanquam de rebus recunditis, quarum ob maximam distantiam necessariæ causæ afferri non possent. Forte autem dicendum, & situm stellarum, & earum plures, aut pauciores motus, ob vniuersi bonum, ac perfectionem extitisse. Easque ipsas pluribus, aut paucioribus motibus bonum suum participare. Itaque Solem nobilissimum, ac perfectissimum motione quidem perfecte assequi, vt aliorum quoduis, quamquam paucioribus, quam alia motibus cieatur. Ita enim vniuersi optimo, ac perfectioni vt moueretur, cumque situm haberet conduxisse. Sed de his, & alijs huius generis difficultatibus in lib. de Cœlo agendum. Quod autem ad stirpes, & animalia attinet. Cum natura constent, maximaq; naturæ pars in eis cernatur, perspicuum est finem aliquem habere, quod in quoque genere (vt dictum est) optimum est. Hunc autem hominem pluribus actionibus ait Aristoteles assequi, cætera animalia paucioribus, stirpes tandem ipsas vna fortassis. Quod propterea habet, quoniam hominum anima multis viribus prædita est, quarum quæq; actionem suam habet, qua illa, & omnino homo perficitur, bonumq; suum assequitur. Nam quamquã hominis vna est maxime propria, videlicet, intelligentia, ad

eius tamen perfectionem reliquæ etiam attinent, vt quemadmodũ tota anima totius corporis perfectio est, ita & vniuersæ illius actiones vniuersæ animæ, & per animam, hominis ipsius. Quoniam autem brutorum anima non tot vires obtinet, quot hominis, vtpote mentem non habens, pauciores eius sunt actiones, quibus ad bonum suum illa aspirant. Multo pauciores vires, ac fortassis vna tantum in genere est stirpium, nempe vegetatrix vna, per quam perfectionem suã acquirunt. Sed dubium est, quoniam tradidit id, quod optimum est nulla actione agere, vt bonum suum habeat, & quo reliqua ad illud propius accedunt, eo paucioribus egere, quo fit, vt quę nobiliora sunt, paucioribus actionibus finem suum adipiscantur. Cuius tamen contrarium in homine, brutis, & stirpibus docet. An quemadmodum idem tradit, diuersi rerum sunt gradus? Aliquod est, quod ita ex se perfectum est, vt nulla egeat actione ad bonum suum comparandum. Alia, quæ paucas actiones requirunt, alia, quæ plures, alia demum, quæ ne pluribus quidem id omnino assequuntur, quæ ob eam causam paucas, aut etiam nullas acceperunt actiones. Quemadmodum aliqui naturali suo temperamento sunt sani, sanitatemq; conseruant, nulla ferè actione, aut industria adhibita. Alij qui eandem quidem tenuem, aut deperditam recuperant, sed aliqua industria, & actione, vt crassi & obesi, corporis extenuatione. Alij, qui aliud præterea requirunt, vt ambulationem, & omnino exercitationem. Alij vltimum locum tenent, quibus facultas nulla est, per quamcunq; actionem sanitatem perfectam adipisci, quibus satis est, si ad extenuationem perueniant, aut ad gradum sanitatis secundum. Ita igitur & in naturæ rebus vsuuenire Aristotel. censet. Quamobrem stirpes paucas, aut vnam actionem acceperunt, quod illam optimi in viuentium genere rationem attingere non possint, quam animalia bruta, & hæc pauciores quam homo, ob eãdem causam. Quin & in vniuersi partibus maioribus idem tradidit contingere, ob eamque causam terrãm nullo modo moueri, nõ est, quod optimum sit, & actione

ne nullā bonum assequatur, vt Deus Optimus, Maximus; sed quod imperfectissima, quæ bonum illud actione nulla possit acquirere. Aquam deinde terræ proximā paucos motus accepisse ob eandem causam. Sed hæc multis difficultatibus obstructa sunt. Videtur enim quodque optimum in genere suo habere, ad quod genitum est, & a natura comparatum, quod nisi attingat, frustra esse dici poterit. Nil autem superuacaneum & frustra natura molitur. Eas præterea vires vnūquodque a natura accepit, quæ generi suo essent accommodatæ. Vnumquodque item in genere suo perfectum est, velu ti musca, & homo. Illud quidem verum est, id, quod optimū est absolute, non æque ab omnibus attingi. Sed ab alijs obscurius, ab alijs clarius, quomodo & esse non omnia eodem modo participarent.

FRANCISCI VICOMERCATI MEDIOLANENSIS DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM

Liber Tertius.

Quæ de Natura tractanda sint, & quemadmodum eam esse, notum sit, nec monstrari oporteat.

Cap. I.

QVONIAM in causis rerum naturalium efficientibus naturam numerauimus, idq; est, ex quo res ipsæ naturales dicuntur, de causa necessitatis agendũ est. Ac illud quidem primum vidẽdum quid sit, & cuiusmodi, tum qua via & ratione in procreandis rebus progrediatur. Aliquid ne aliud item sit, præter efficientem & mouentem causam, quod naturæ vocabulo nuncupetur. Nam eam esse, planum est, & euidens, vt nullam, aut demonstrationem, aut etiam inquisitionem requirat, ridiculumque (vt ait Arist.) omnino sit, aliquẽ ad eam conatum adhibere,

cum

cum multæ res eiuſmodi cernantur, quæ cum naturales appellentur, naturam in ſe habent, & per eam conſtant. Nec vero vlla ex euidentioribus ratio, aut demonſtratio afferri poſſet, quæ ſi ex minus euidentibus afferatur, quod inſtituit non præſtat, rem videlicet ignotam notam facere. Ac qui eam affert, talem ſe indicat, qui id, quod per ſe notum eſt, ab eo, quod tale non ſit, diiudicare non queat. At vero naturam eſſe, per ſe eſſe, notum eſſe, magis intelligetur, cum quid illa ſit, & quæ eius vocabulo notio ſubijciatur, fuerit expoſitum. Quare mirandum eſt Auicennam poſſe eam, ac re vera eam a primo philoſopho demonſtrari contra Ariſtotelē cen ſuiſſe. Rerum enim quidem naturæ principium eſſe, ac ideo in naturali ſcientia non oſtendi. At primum philoſophum, a quo naturalis accipiat, id muneris obire. Cumque naturam principium motus Ariſtoteles definiat, non magis ridendum eum, qui, vtrum natura ſit, inquirit, quam qui an motor a mobili differat, quod ab ipſo Ariſtotele & inquiritur, & magna difficultate inuenitur. Naturalem enim motorem naturam eſſe, idcirco quærere, an naturalis ſit motor idem eſſe, ac quærere an ſit natura. Sed eo deceptus eſt Anicēna, quod quæſtionem, an mouens ſit naturalis, eandem eſſe putauit, ac eam, qua inquiritur, an a mobili differat. Quam Ariſtoteles quidem diſputauit, atque a mobili mouentem differre oſtendit, cum ipſum mouentem eſſe poſuiſſet, nec de eo vnquam dubitaſſet. Nec a primo philoſopho naturam eſſe aliter oſtenditur, quam prima principia eſſe, ſi ab aliquo tollan tur. Si enim eam de medio aliquis auferat, rationibus ad incommodum ducentibus eam demonſtrat. Quæret autem aliquis quomodo eam eſſe a naturali non demonſtretur, aut non poſſit monſtrari, cum & ex motu, cuius eſt principium & cauſa, & ex rebus naturalibus, quæ natura conſtant, oſtendatur. Quin & ipſe Ariſtoteles eo ipſo in loco, vbi ridiculam eius demonſtrationem eſſe ait, monſtrare eam ex rebus naturalibus videatur, cum ait complura eius generis eſſe. In hac quæſtione multa ab Ariſtotelis interpretibus afferuntur, ſed

leuis (vt videtur) momenti, & inania potius verba, quam aliquid, quod hanc dubitationem diluat, & explicet. In quibus Gandauensis ait, quod alij etiam ante eum naturam esse posse quidem, non tamen debere ostendi. Posse autem tũ ostensiua, tum ad impossibile ducente demõstratione. Ostensiua tum ex motu, tum ex rebus ipsis naturalibus. Ad impossibile, quod tolleretur motus. Cuius vna ipsa principium est, & causa. Monet tamen ostensiuam demonstrationem ex notioribus natura esse, non nobis. Quoniam illa propositio, motus est a natura, nobis nota non sit, nec notior, quam naturam esse. Notior tamen natura, quatenus causa est, vt naturam esse intelligamus. Cum autem ita posset monstrari, non tamen debere, quia nec occultum id sit, nec dubium, nec terminis intellectis falsum esse appareat. Præterea, non debere monstrari tanquam difficile sit, & laboriosum, idque Aristotelem indicasse, cum dixit, naturam eniti demonstrare ridiculum est. Illud quippe verbum eniti, seu tentare, in his vsurpari, quæ sunt difficilia, & laboriosa. Ita igitur de hac quæstione Gandauensis. Quæ omnino Aristoteli aduersantur, qui ait, ridiculum esse eniti eam monstrare. Ac ridiculũ magis est, illud verbum eniti, ita interpretari, quasi in rebus duntaxat arduis vsurpetur, ac solum debere, non item posse demonstrari negauerit. Quæso, cur aliquid possit monstrari? An non ob id, quod non sit ex se notum, quod si notum esset, iam non posset monstrari, quippe cum demonstratio rei agnoscendæ est gratia. Si igitur quia notum non est, demonstrari potest, etiam debet, aliter ignotum remanebit. Naturam autem esse est notum, ideo monstrari non potest, nec debet. Ac verbum illud eniti, seu tentare, quod Græcæ est πειρᾶσθαι in rebus arduis solis si vsurpetur, laboriosam profecto demonstrationem hanc esse, Aristoteles indicauit. Quasi fieri non possit, ridiculumque sit eam moliri. Sed nõ ob eam causam eo verbo est vsus; Cum & in rebus facilibus vsurpetur. Vnde sunt rationes tentatiuæ, quibus in disputando sæpenumero vtimur. Cum autem naturam esse nec debeat, nec

possit

poſſit a naturali monſtrati,ad eas,quæ contra allatæ ſunt rationes,dicendum naturam, ac res naturales non ita inter ſe diſtingui,vt vnum ad reliquum oſtẽdendum ſumatur.Quod eo indicatur, quia cum dixiſſet ridiculum eſſe, & cæt.ſubiecit,manifeſtum eſſe multa talia eſſe,in quibus ſcilicet natura inſit. Ac quod de rebus naturalibus dicimus, de motu etiã dicendum, quo res naturales a non naturalibus diiudicantur. Agnito igitur quid naturæ vocabulo intelligatur,euidẽs ſtatim eſt,eam eſſe,cum multa,in quibus illa ineſt, principiũ videlicet motus,videamus. Sed obijcient rurſus aliqui, eadẽ via,vtrum res ſit,& quid ſit inueſtigari, vt in ſexto de prima philoſophia Ariſtoteles tradidit. Cum igitur quid natura ſit inueſtigetur, & oſtendatur, atque ex rebus naturalibus agnoſcatur,eam etiam vtrum ſit,inueſtigati & oſtendi. Sed dicendum,naturæ quidem definitionem,ſeu deſcriptionem, & naturalium rerum a rebus arte factis differentiã aliquo modo inueſtigatam; Non tamen quaſi ignotum quid ex notioribus oſtenſum, ſed ſi collecta eſt, ſyllogiſmo tantum hypothetico (vt poſt dicetur) cõcluſam. De qua re paulo poſt agendum. Nunc tamen quemadmodum ridiculum ſit, naturam velle demonſtrare, ac qui hoc demonſtrare aggrediatur,rudis plane ſit,& ineptus, & eorum, quæ demonſtrationem requirunt,ac eius, quæ in diſciplinis vſitata eſt docendi ratio,planè ignarus. Cum per ſe notum, & non per ſe notum quid differant,non intelligat,doceamus. An non meritò ridendus is eſt,qui cum Solem,ac reliqua ſydera perpetuo ſub oculos cadentia habeat,eorum tamen perinde,ac manifeſta non ſint,demonſtrationem requirat, ac ſapienter ſe in media luce diem quærere exerceat? Nunquid non mentis quandam imbecillitatem Ariſtoteles eſſe tradidit, ſenſu præterito,rationem deſiderare? Quid autem eſt,quod ſub oculos,alioſq; ſenſus euidentius cadat,& cuius in eos argumenta tanta confluunt quotidie, quam ipſa natura, ac res quæ per eam conſiſtunt. Vt quocunque nos vertamus, oculos conijciamus, aures patefaciamus, cæteroſque omnes ſenſus

ad-

admoueamus, natura ipsa, ac rerum naturalium innumera multitudo sese sentiendam agnoscendamque nobis offerat. Ex quo non magis de ea, vtrum sit, necne, dubitare aliquis debet, quam vtrum sentiat, an verò stupidus sit, & sensus penitus expers, quin & omni intelligentia, ac ratione vacuus. Cuius generis aliquis si sit, & ridendum profectò, nec cum eo de re vlla disserendum omnes existimabunt. Quomodo enim cum eo disseratur, qui demonstrandi rationem ignoret, qui quod per se euidens est, & notum, in dubium vertat, eiusque rationem requirat. Cum ratione probari id non possit, nisi ex minus notis & euidentibus, quod fieri nullo modo potest, siquidem demonstrationis principium euidens est, & eo notius, quod ad demonstrandum proponitur. Sũt enim in animis nostris prænotiones quædam, quibus vt firmamentis solidissimis omnis demonstratio, docendique ratio innititur. Quarum si quis rationem requirat, & mentis ui priuatum se esse ostendet, quã per se nota ab his, quæ non sunt eiusmodi, diiudicantur. Nec vero a ratione alienum est, huius generis hominem aliquem inueniri. Cum & cæci aliqui esse possint, qui cum oculis careant, quibus colores sentiuntur, eorumque inter se differentias diiudicantur, de eis tamen disserere non vereantur, multaque de eis enunciare, veluti in extremis coloribus albo, & nigro vim aspectus mouendi efficacissimum inesse, vt album plus visum dissipet, nigrum impensius congreget, in medijs mediocrẽ, ideo aspectum his delectari, illis offendi, & huius generis alia. Quibus contingit, vt de nominibus tantum disserant, nil ne de eorum natura, quam nunquam perspectam habuerunt, plane intelligunt. Quemadmodum & qui de sonis, eorumque modis surdi verba nonnunquam faciunt, cum ne illi quidem de his semper taceant, sed multa interdum inaniter effuciunt, quæ minime ab eis intelligantur. Quomodo vero aut cæci colores, aut surdi sonos, eorumque differentias, aut vires intelligerent, quos nunquam nec aspectu, nec auditu perceperũt, sine quorum sensuum ministerio eorum nihil

nihil intelligi, aut cognosci potest? Si igitur de coloribus ratiocinetur cæcus, aut de sonis surdus, non quæ ipsi intelligant certe disputabunt, sed quæ quibus oculorum acies, atque auditus est sanus, quibus & colores, & sonos recte percipere valeant. Cum autem cæci ipsi colores non intelligant nec res per se euidentes esse sciant, ad ratiocinandum de eis alia minus nota assumant necesse est, nempe ea, quæ audierunt tantum de coloribus, non quæ ipsi sensu suo perceperunt: quo cũ careant, ministerque illæ sit intelligentiæ, de coloribus nil intelligere eos necesse est, sed tantum de nominibus (vt dictum est) disputare. Non aliter res vsuuenit his, qui euidentia ostendere nituntur. Nam cum ea vi destituantur, qua per se manifesta, & non per se manifesta quid differant, intelliguntur, eorum naturam ignorant, quæ per se sunt nota. Ac ea quidem sunt primæ notiones, resque nonnullæ adeo euidentes (vt etiam primarum propositionum termini) vt nulla egeant demonstratione. Quarum cognitio ad intelligentiam pertinet, quæ veluti oculus est quidam ad videndum, verum in animo positus. Qui si vitietur, aut penitus corrumpatur, vitiosis opinionibus deprauatus, ad contemplandam veritatem ineptus redditur, non minus ac oculus sine acie, aut extincta, aut vitiata ad videndum colores inhabilis euadit. Et de hoc quidem satis.

**

Quid sit natura, ac diuersæ de ea sententiæ, ac earum, & Platonis maximè disputatio. Cap. II.

CVm autem naturam per se cognitam, perspectamq; esse, nec demonstrationis egentem docuerimus, quid illa sit, & cuiusmodi, explicandum. Eam alij aliud esse putauerunt. Veteres physici, qui ab ea nomen traxerunt, naturę videlicet speculatores, & ventilatores, primam cuiusque rei substantiam innatam, nec genitam, corporibus omnibus, quæ oriri ac interire apta sunt, subiectam, naturæ vocabulo intellexerunt, deinde & quæ sua ratione adsunt singulis, perinde ac diceremus, cuiusque vim, qualitatem, & conditionem, quo posteriore significato a Poeta etiam sumptum est prius, cum dixisset.

Sic ait interpres diuum præbetq; medelam.

De terra euulsam, tum naturam mihi monstrat.

Mox subiungit.

Nigra quidem radix, sed erat flos lacteus illi.

Quo quidem pacto quidam, qui de herbis scripserunt, putāt se earum naturam explicare, cum vires eiusmodi, & qualitates exponunt. Sed cum hanc rerum naturam esse vellent veteres potissimum, tamen earum subiectam materiam, quæ permanet, nec mutatur, quomodo dicimus metallorum naturam aqueam esse, & lapidum terream, quòd hæc ex terra, illa ex aqua, vt ex materia constitere. Alij ex aduerso non materiam ipsam, quæ postremum in rebus locum habet, sed Deum Optimum Maximum, idque eius operum admirabilitate ducti. Alij eius vim ac legē per omnia fusam, seu toti mūdo & partibus eius inserram diuinitatis rationem. Alij ordinariam Dei potestatem. Idque ex Hippocr. sententia, cum air, in lib. de aere & aquis, nihil absque natura gignitur, omnes enim affectiones diuinæ. Vt in primo de ratione victus. Naturam Dei omnes exornarunt. Iidem vim formarum om-

nium inferiorum a ſuperioribus tendentium in effectione & conſeruatione. Fuerunt & qui omnia naturæ nomine appel larent. Plato quid illa ſit, in his, quæ extant monimentis nō tradit, quod profecto mirandum. Cum Timeum ſcripſerit, in quo de rerum natura agit, a qua etiam illum inſcripſit. Nam ea naturæ ſignificatio, quam ei tribuit, cum ab eo explicatur in Phedro ex Hippocratis ſententia, quæ quidpiam parat, & ratione ab alijs ſeiungit, ad hunc locum nō attinet. Eam enim, qua res naturales conſtāt, naturam inquirimus. Ille autem rei cuiuſque ſeu naturalis ſit, ſeu non naturalis ſubſtantiam, ſeu eſſentiam intelligebat. Quam Hippocrates conſiderandam primum volebat, vtrum ſimplex eſſet an compoſita, deinde ſi ſimplex, quænam eſſet eius facultas, quam ad agendum haberet, aut ad patiendum ab aliquo comparatam. Ita & animæ & Dei, & rerum arte factarum natura ſua erit, quæ via poteſt & ratione tractari, atque explicari. Sed cum Plato quid natura eſſet non explicarit, eius tamen diſcipuli, qui illius dogmata interpretati ſunt, nil aliud naturam exiſtimatum tradidere, quam vim quandam mediam inter animam & facultates corporeas interiectam, quæ (vt in lib. de Dogmatibus expoſuimus) corporearum omnium rationes contineat, omnia generet, omnibuſque vitam impartiatur. Alij, vt Proclus, Dei, ſeu opificis artem. Ariſtoteles autem, vt cætera omnia, ita & hanc accurate videtur explicaſſe. Nam & quid eſſet, & quotuplex tradidit, omnium ratione adiuncta. Motus ergo & ſtatus eius, in quo primum & per ſe ineſt principium, & cauſam definiuit, cum omnia, quæ natura conſtant, hiſce obnoxia eſſe, & moueri, ac ſtare perſpicere ret. Tot de natura fere leguntur ſententiæ. Quarum quæ Ariſtotelis eſt, eius vim & rationem plenius & exactius videtur aperire. Quamquam quæ a Platonicis poſtea tradita ſunt, a nobis in lib. de Dogmatibus explicata, eius vim, atq; efficientiam maximam, plurimum oſtendant, recteque omnia de ea tradita videantur. Nam quòd vis quædam ſit in corporibus ſita, corporeis viribus ſuperior, quæ omnium ratione

tiones contineat, & omnia generet, cæterisque motionibus præsit, perspectum est. Est enim natura in eo, cuius est natura. Corporum autem natura est, quamobrem in illis est. Cumque corpora generet & moueat, superior profecto illis est, eorumque viribus, veluti calido, frigido & cæteris eiusmodi. Vnde illis, vt instrumentis, vtitur. Nam putandum nõ est, hæc principem efficientiam in rebus gignendis habere. Quod cum veteres physici censuissent, ab Aristotele secundo de Ortu, & interitu, merito reprehensi sunt. Quamobrem (inquit) & hi tum recte hoc inquirunt, & quia præcipuam magis causam remouent, essentiam videlicet & formam. Præterea, naturales vires attribuunt corporibus, per quas sibi simile generant, sublata quæ secundum formam est causa. Nam cum (vt aiunt) calidum secernere, frigidum cogere, & vnumquodque aliorum aliud quidem agere, aliud vero pati aptum sit, ex his, & per hæc (aiunt reliqua generari, & interire. Videtur autem & ignis pari, ac moueri. Rursus simile quid faciunt, ac si quis serræ, ac cæteris instrumentis eorum, quæ fiunt, causam attribuat. Hæc Aristoteles, quibus aperte tradit, & corpora & vires eorum principem locum in generando nõ habere, sed esse quid superius, ac dignius, quod ea mouet, ac illis, vt instrumentis, vtatur. Quod nil aliud est, nisi natura. Ita recte Platonici, aut Plato, corporibus eorũq; viribus naturam superiorem fecerunt, vtpote illa generantem, & mouentem. Recte & illud, si bene intelligatur, anima inferiorem naturam. Nam etsi anima natura quædam esse videatur, vt post docebimus, non omnis tamen natura anima est, quippe quæ præstãtior quædam res est anima, quam sit natura. Sed de hoc naturæ ab anima discrimine in progressu dicendum. Illud tamen non recte, quod animam, qua naturam inferiorem faciunt, vniuersi huius esse volunt. Quod animatum non esse suo loco contra Platonem ostendemus. Quin & illud alienum videtur, naturam ab anima disiungi, quod illa in corporibus, & circa corpora reuoluatur, cum anima ab eis abiuncta sit, & in se consistat, simulque-

O 2 sui

sui & corporis,quod eam participat. Neque enim hoc concedendum animam a corporibus abiunctam, quippe, quæ est corporis naturalis entelechia,& perfectio, quæ ab eo abiungi non potest. Alia igitur in re eorum discrimen positum sit necesse est. Cum autem hæc non probentur, illud recte dictum videtur, naturam Dei artem esse. Nam cum omnia, quæ natura constant,ordine admirando,ac certa dispositione atque ad aliquem finem sint comparata,non temere, aut casu genita,arte quadam,vt mente,videntur constare. Quippe cum ars ordine, & via in rebus suis agendis ingrediatur, nilque temere,aut fortuito agit,sed alicuius finis gratia omnia. Vnde & res naturales ex arte factis, & natura ex arte explicatur,rationeq; ipsius imitatrix & æmula ars est, & quasi altera natura censetur. Vnde eam vim, quæ in semine inest, genitalem artifici Aristoteles assimilauit,vt quæ admirando in formando animalis corpore, eiusque partibus omnibus artificio quodam vtatur. Ars igitur quædam videtur natura. Quæ cum Dei ministra sit,& ab illo pendeat, vt in duodecimo de prima philosophia optime traditum est, non aliter quam diuina censenda est. Quare non iniuria artem diuinā naturam appellauerunt. Quamquam Aristoteles diuinam negauit,ac dæmonium tantum esse tradidit in libro de diuinatione per somnium: Quod quemadmodum de ea enunciauerit,aliàs satis dictum est. Quædam tamen in eius libri comment.tradidimus, quæ in progressu etiam attingentur. Ab his autem,qui artem diuinam dixerunt, hi non admodū dissensere,qui Dei vim, seu legem per omnia fusam, ac corporibus omnibus insertam eam esse putauerunt, aut etiam Dei potentiam ordinariam. Quamquam apud physicos potentiam dicere satis est, quippe, qui nil concedunt Dei vi, ac potentia fieri,nisi ordine rato,& cōstituto, præter quem nil omnino efficiatur. Theologi nostri id piè, ac sanctè tradunt,cum præter ordines ratos & certos,multa & facta esse, & fieri posse, tum in cœlestibus, tum in his caducis nos docent. Quemadmodum est,Solem constitisse,aut etiam retro

cursum egisse, eundemque ex aduerso Lunę defecisse, & eius generis alia, quæ in sacris nostris litteris traduntur; quæque a Dei potentia ordinaria minime extiterunt. Quoniam autem & quæ natura fiunt, ordine quodam perpetuo fieri videntur, veluti hominem ex homine, ac certis temporibus nasci, hæcque omnia in Deum, vt supremam causam referũtur; potentiam Dei ordinariam naturam dixere. Sed illud etiam videtur res quædam a Dei vi, ac potentia diuersa natura esse, quamquam ab illo pendens, & quæ per eum seruetur, ac eius veluti ministra. Nam si idem, ac illa esset, frustra naturã cum Deo iungeremus, cum de rebus, quæ fiunt, differitur. Communiter autem iunguntur, vt cum Aristoteles ait, Deum & naturam nil frustra agere. Non etiam recte, diceretur naturam a Deo pendere, & per eum seruari, si illius esset potentia. Nec Hippocr. eam recte dixisset ab omnibus Dijs exornatam: quæ tamen ad sententiam suam stabiliendam a Platonicis proponuntur, hæc sunt: legem quidem Dei, quomodo & artem recte dicitur, quandoquidem ex illius præscripto omnia efficiuntur. Sed & potentiam, seu vim Dei quatenus, quæcunque agit natura, vi, ac potentia Dei omnia mouentis, & seruantis agit, ac molitur. Quæ vis & potentia si abesset, natura ipsa ex se nil posset, ac ne vllo quidem pacto, vel minimũ temporis consisteret. Itaque fingit author libelli de Mundo ad Alexandrum, seu Aristoteles, seu alius quiuis, quod vetus fama est mortalium omnium hereditaria, vniuersa a Deo, & per Deum nobis esse constituta. Nec vero vlla natura per se sufficit orbata salute, quam ille ferat. Quapropter veteres nonnulli adducti sunt, vt dicerent, omnia Deorum esse plena. Quo in loco, vt patet naturam a Dei vi & potentia diuersam facit; sed tamen per eum seruari. Quæ si ita habent, multo minus sentiendum naturam Deum esse, quod alij sunt opinati, ac veteres illi quodammodo indicarũt, cum Deorum plena omnia dicerent. Siquidem natura in omnibus spectatur, quæ in hac rerum sunt vniuersitate. Est vero Deus naturæ principium, a quo dependet, non ipsa natura.

Nam quod Platonici naturam Deũ appellari nonnunquam inquiunt, non ideo est, quod ipsa ex se, quod Deus sit, habeat. Sed quia diuina efficiatur, cum eius sit ministra, & veluti instrumentum. Ita enim & cœlestia corpora Dij interdum appellantur, tanquam illorum quædam imagines, ac substantiæ nobilissimæ, quæ ad Dei Optimi Maximi naturã propius quam caduca accedunt. Non recte igitur Seneca in lib. de beneficijs, nihil esse naturam nisi Deum, tradidit. Natura (inquit) hoc mihi præstat. Non intelligis te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, quam Deus, & diuina ratio toti mundo & partibus eius inserta? Ergo nihil agis ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ. Quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura, sed idem est vtrumque, nec distat. Multa profecto recte Seneca, nempe illud, naturam diuinam rationem esse mundo & partibus insertam, item, ingratum esse, qui Deo non debet, sed naturæ, rursus nec naturam sine Deo, nec Deum sine natura. Illud non recte, hæc idem esse, nec distare. Non enim si quæ absque sese vicissim esse non possunt, idcirco idem sunt, nec differunt. Nam nec forma absque materia esse potest, nec hæc absque illa, quæ tamen inter se plurimum distant, quomodo & ea omnia, quæ ad aliquid dicuntur. Quemadmodum autem natura Deus non est, sed eo longe inferior, & multo imperfectior, ita nec materia, ex qua res constant, alterum videlicet vniuersitatis rerũ extremum Deo ex diametro aduersum, esse potest. Si enim a corporibus diuersa est, quamquam in illis, dominatumque in ea habet, ac illis perfectior est, vt antea traditum est, materia, quæ est imperfectissima, censeri non debet. Sed de hoc in progressu, vbi de re hac separatim exquiremus, vtrum videlicet materia, an forma potius natura nuncupetur, quandoquidem ad vtramque pertinet, & de vtraque dici Aristoteles tradit. Nunc vero quod ex eo allatum est, naturam esse, motus videlicet & status eius, in quo est, principiũ, vtrum recte se habeat, an secus, exquiramus, anq; hæc naturæ descri

ptio

ptio eius vim,& naturam penitus explanet. Nam & multas, quæ vix possint superari, patitur difficultates, & naturæ rationem, atque essentiam non omnino videtur explicare. Ex quo etiam interpretationes multæ, ac diuersæ extiterunt. Quam rem omnem etsi in libro de Dogmatibus abundè tractauimus,& quæ Aristotelis esset sententia, quæ controuersa necesse est, docuimus. Quoniam tamen multæ considerationis indigens res est, nec satis vnquam videri possit explicata, de ea denuo disseremus, & quæ eo in loco prætermissa sunt, seu pleniorem explicationem requirunt, nunc quam maxime fieri poterit, dilucide subijciemus.

Naturæ vim, & essentiam ab Aristotele recte traditam, & explicatam. Cap. III.

Illud autem principio docendum in naturæ vi, ac ratione explicanda non aliter Aristotelem ingressum, quam veteres physicos, ac Platonem etiam ipsum, cum animæ naturã, atque essentiam inuestigarunt. Illi igitur non alia commodiori via inquiri eam posse putarũt, quam si quibus rebus animata ab inanimis differrent, exquirerent. Nam quod origo eorum & causa esset, seu principium, id animam, eiusq; substantiam statui recte posse intelligebant. Itaque ei substantiam eius generis quisque attribuebat, quæ ad ea efficienda esset idonea. Cum ergo sensu & motu, quod animam habet ab eo, quod non habet differre animaduerterent, id esse animam tradiderunt, a quo duo illa originem ducunt. Ac quoniam hisce operibus efficiendis non quæcunque substantia, ac natura est accommodata, eam quisque pronunciauit, quæ commodior, & probabilior visa est, alij aerem, alij aquam, alij aliud, suis quique rationibus ad id astruendum ducti. Hoc ipsum Aristoteles, cũ quid natura sit, inquirere, ac eius rationem, & essentiam explicare in animo instituisset, sibi, vt existimo, faciendum pu-

tauit. Videndum enim quo res naturales ab his differant, quæ naturales non sunt, sed ab alijs proficiscuntur causis, & his potissimum, quæ arte fabricantur. Id namque, aut naturam, aut illius effectum necessario esse. Nam quamquam naturæ imitatrix, & æmula ars sit, & quasi altera natura, dissimile tamen quoddam habet, ex quo quid natura sit, facile perspicitur. Sed cum ab effectis ad causam cognitio nostra progrediatur, & vt naturæ, ita artis opera sua, siue & effectiones, machinationesque, quæ naturalium effectorum a non naturalibus differentia sit, initio fuit perpendenda. Cum igitur quæ naturales res appellantur, simplicia corpora, ignis, aer, aqua, & terra, & quæ ex horum constant admistione, animalia potissimum, & stirpes ab his, quæ arte constant, eo differre cernantur, quod cum varijs cieantur motionibus incrementi videlicet alterationis, & motus in loco, harum omniũ principium intra se habent, atque originem, quod principiũ in arte factis non inest, id naturam esse merito existimauit Aristoteles, & docuit, quod eiusmodi esset motionum principium, atque etiam status, in quem desinere consueuerunt. Ita igitur ratione, & via naturæ vim & essentiam, videtur Aristoteles tradidisse. Quomodo autem in rebus naturalibus hæ motiones insint, & quæ in quibus, cum non omnes omnibus cieantur, quod item in se principium earum habeant, efficientes, an passiuum tantum, an etiam vtrũque, an vero quædam vnum, alia aliud, & quemadmodum, in libide Dogmatibus explicatum est. Nam passiuum quidem principiũ, id est propensionem, & habilitatem, qua moueantur, idque his motibus, quibus mouentur, omnia obtinent, quomodo, & ad quietem, seu statum, in quo, postquam naturaliter mota sunt, consistunt. Actiuum præterea, seu efficiens, cum nil aliud externum videatur, vnde eorum motus proficiscatur, necessariumque sit omnino; quicquid mouetur ab aliquo moueri. Nec omnia item omnibus motibus cientur. Cum nec incrementi, aut decrementi motu simplicia corpora vllo modo moueantur, nec etiam motuum, seu passiuum, seu

actiuum

actiuum vllum intra se habeant. Nec alterationi etiam subij ciantur, nisi ab agente, & alterante externo, quomodo & stirpes, quæ augentur quidem ex se, & imminuuntur, simpliciúque corporum, ex quibus constant, merito sursum, aut deorsum feruntur, sed non tamen ex se alterantur. Animalia autem alterationis principium intra se habent. Cæterorumque etiam motuum. Sed tamen illius, quatenus animalia sunt, & sensu prædita, cæterorum alia ratione. Accretionis enim, vt communicant cum stirpibus, altricemque, vt illæ, participant; Lationis vt ex simplicibus constant elementis. Quamquam & ab anima mouentur, veluti a principio interno. Sed iste motus naturalis proprie non est, nisi ipsi animæ, quæ ita apta est mouere. Corporis autem naturalis non dicitur, ideoque animal eo motu fatigatur, quod naturalibus motibus non accidit. Nam nec ignis cum sursum, nec terra cum deorsum fertur, fatigantur, quin potius validiora euadunt, quo longius, ac diutius mouentur. Ita naturalis motus initio remissior, magis ac magis intenditur, ac vehementior, velociorque redditur. Cuius contrarium in eo, qui naturalis non est, euenit. Nullum igitur motum, qui ad locum attinet, naturalem eo modo, quo dictum est, cuius principium intra se habeat, animalia quatenus animalia obtinent. Nam alioqui gressus gressilium, & volatus volatilium naturalis cēsetur, hoc est eorum naturæ proprius, ita vt eo motu apta sint moueri, ad eumque propterea efficiendum instrumenta accommodata acceperint. Quæ cum ita habeant, intelligitur, cur Aristoteles cum res natura constantes motus principium intra se habere tradidisset, adiecit, alia incrementi, & decrementi, alia alterationis, alia lationis. Propterea quod non omnia omnium. Ita Simplicius omnino reijciēdus, qui in simplicibus elementis hosce omnes motus, eorumq; principium inesse docuit; Cum tamen (vt dictum est) nec augeantur omnino, nec alterentur, nisi a principio externo. Accretio enim animatorum propria est, & quæ omnis alteratio in eis cernitur ad causam exteriorem refertur. Nam si

ra-

rarefiunt, & rarefactione ampliora euadunt, non idcirco augentur. Quippe cum accretio alicuius ad omnem eius, quod augetur partem additione existit. Dubitatio tantum est de aqua excalefacta, quæ frigescit ex se, nullo externo frigefaciente apposito. Sed id fortasse aqua in sua simplicitate, ac puritate manens, calida esse nō potest, fieret enim mista, nec vltra esset simplex. Calida igitur redditur vaporum calidorum admistione. Quibus deinde abeuntibus, aut extinctis, in antiquum frigus restituitur, vt aqua vaporum præsentia calida reddita est, ita absentia refrigeratur, nullo refrigerationis principio in ea constituto. Nisi forte etiam ab aere ambiente refrigerari quis eam statuerit. Quæ nisi frigidior sit, eamque refrigerandi vim habeat, minime illa refrigerabitur. Sed hæc mittamus quādo quidem ad naturæ traditam definitionem explicandam nil attinent: Cum satis sit elemēta motu aliquo ex se moueri, quisquis tandem ille fuerit, vt rerum naturalium ab arte factis discrimen positum verum esse intelligatur. Quæ arte facta perspicuum est nulla ex se moueri, aut cōsistere, sed aut nullo modo moueri, aut a principio externo. Ab interno vero minime, nisi ex accidenti, & secundario, quatenus materia constant naturali, aut forte fortuna accidit, vt motionis principium in eo sit, quod mouetur, quomodo ars medica in ægroto interdum est, qui ab ea sanatur. Per se enim in eo non inest, nisi omnem ægrotū medicum esse, idque intra se principium habeat, quod omnino falsum esse statuimus. Quædam autem sunt, quæ nullo modo principium id intra se habent, tradit Auerroes, veluti & domus, quæ nec per se, nec ex accidenti mouetur. Sed tamen etiam dubitatio de his est, quæ manu fiunt, quoniam ex materia naturali cum constent, moueri possunt, vt descāno, & lectica ab Aristotele dictum est. Verum dici potest, de omnis mutationis principio Auerroem non locutum, sed de effectionis, quam Aristotelis vocabulo ποιησεως καὶ πράξεως, indicauit. Perspicuum autem est, hæc manufacta nullum suę effectionis principium intra se habere, seu per se, seu per accidens,

cidens, quomodo aliorum motuum per accidens saltem acceperunt, vt lationis. Sed dubitatio rursus est, quod quædã arte constantia ui principij, quod per se inest, nimirum ab arte proficiscuntur, veluti saltatio ab arte saltandi, quæ in eo, qui saltat, per se inest. Itemque cantus, qui ex arte musica, quæ in canente per se inest, existit. An vero cum Auerroe dicendum, nec artem saltandi, nec musicam, quæ instrumento non vtitur, ad hunc locum attinere, quod de his tantum artibus Aristoteles locutus sit, quarum non actiones solũ sint, sed opera etiam quædam remaneãt. An vero potius artium harum actiones non ab artibus solis ipsis proficiscuntur, sed a natura quoque, aut vi naturali, quæ arte ipsa adiuuetur. Nam quid aliud saltatio sit, nisi pedum, & corporis motus rhythmo quodam, & modulatione effectus? Quomodo & cantus vox, quæ modulatione edatur. Mirandum igitur non est, si harum actionum principium in his, quæ mouentur, habeatur. Quin & illud forte dixerit aliquis in his ipsis operationibus, quæ arte constant, principium earum non inesse, sed in his, a quibus proficiscuntur. Hoc igitur discrimen est, quo a rebus arte factis res naturales disiunguntur. Sed non eorum tantum, quibus cientur motuum, verum & statuũ, in quibus consistunt, & permanent principium intra se res naturales cohibent, quod in arte factis minime spectatur. Ita elementa in locis suis naturaliter, & ex principio interno conquiescunt. Ita stirpes & quæcunque viuunt in magnitudine, quam per accretionem naturaliter accepere. Nec secus animalia in ea qualitate, quæ alteratione est acquisitiua. Nec hoc quidem absque ratione. Nam quæcunque natura & a principio, quod in eis est, mouentur, finem aliquem habent, ad quem mouentur, quo conquisito moueri desinunt, & conquiescunt. Nec enim aut temere nullo fine proposito, aut infinite mouentur. Rationi igitur consonum est, vt quod motus eorum principium est, illud ipsum & status in fine acquisito constituatur. Quocirca elementa in locis suis, ad quæ ex se mouentur, naturaliter, & ex se conquiescunt,

stirpes

ſtirpes & viuentia omnia in ea magnitudine, quæ eorum accretionis eſt finis, quæque illis a natura eſt conſtituta. Eãq; ob cauſam, nec elementa vltra loca ſua progrediuntur (quãquam ſpacium liberum detur) per quod moueãtur, nec quę viuunt vltra magnitudinem ſibi naturaliter definitam. Quippe cum traditum ſit omnium natura conſtantium determinatam eſſe incrementi, ac magnitudinis rationem. Ariſtotelis prætereà ſententia eſt, quicquid natura ad aliquid mouetur, natura in eo conquieſcere, quomodo & quicquid vi ad aliquid mouetur, vi ſimiliter in eo conſiſtit. Eſt igitur in rebus vt motus principium, ita & ſtatus. Dico autem cum ex ſe nullo externo mouente adhibito mouentur. Nam cum ab alio mouentur, vt a principio interno non mouentur, ita nec in eo, ad quod mouentur, ex eodem principio conquieſcunt. Verum externum aliquid eius ſtatus cauſa, & principium exiſtit, quo ſublato, ſtatim motus conſequitur, qui antea impediebatur. Nec aliquis obijciat animalium tãtum proprium a ſe moueri, & conſiſtere, quippe quæ cum volunt moueantur & conſiſtant, vt eorum motus & ſtatus ab interno principio proficiſci in eis aperte videatur, quod in octauo de naturali Auſcultatione palam Ariſtoteles tradidit. Nam quamquam animalium id propriũ eſt, vt pro arbitrio moueantur, & non moueantur, mouerique deſinunt, cum moueri inceperunt, non ideo tamen efficitur, quin & motus ſui, & quietis principium cæteræ res naturales intra ſe complectantur. Quod quidem non eo modo eſt, vt cum velint moueri, incipiant, aut quieſcere, quo modo animalia, ſed vt non impedita ad fines ſuos ſibi deſtinatos ex ſe moueantur, & in illis motu eo acquiſitis conquieſcant, non vltra progredientia. Quod etiam aliter facere non poſſunt. Nam & neceſſario mouentur, niſi impediantur, & in fine ſuo, ſeu loco, ſeu magnitudine neceſſario conquieſcunt, niſi vi quadam ab eo depellantur. Naturales igitur res vt motus ſui, ita & ſtatus principium cauſamque intra ſe continent. Quod de rebus arte factis dici non poteſt. Nec enim ſi ſtatua lapidea

alicubi

alicubi conquiescit, aut in ea, qua a statuario exsculpta est, magnitudine permanet, nec vltra progrediatur, eius status principium in ea inest, nisi forte ex accidenti, & secundaria quadam ratione. Conquiescit enim quidem ex grauitate, quam intra se habet, sed illa statuæ non est, quatenus statua, sed quatenus marmorea, & materia constans naturali. In magnitudine autem sua persistit ex nullo omnino interno principio, seu per se, seu per accidens, sed propter statuarij voluntatem, qui illa magnitudine eam exsculpsit. Conquiescit medicus in sanitate, quam sibi ægroto parauit, sed vt eius acquirendæ principium in eo qua ex parte ægrotabat ex accidenti inerat, ita & status illius, seu quietis, omnino motum consequitur status. Atque si motus principium internum est, eodem modo & status, si externum, externum. Sed quæstio exsistit de duobus vniuersi corporibus extremis, Cœlo videlicet, & terra, quæ vt extrema sunt, & locis extremis, & maxime inter se distantibus distincta, ita alterum eorum cũ perpetuo moueatur, nunquam consistit, alterum perpetua fruitur quiete. Ita fit vt motus & status principium neutrum intra se habeat, illud quidem status, hoc vero motus. Aut igitur naturalia corpora non erunt, aut non recte res naturales ab arte factis distinctæ. Quod autem de terra ambigitur, de elementorum omnium vniuersitatibus potest dubitari, quippe quæ in locis suis consistunt, nec mouentur, nisi superiore quadam vi cieantur. Quod igni vsuuenit, qui a cœlo in orbem raptatur. Sed quod ad cœlum attinet, aliquibus placuit naturale non esse, quod ea proprie naturalia non sint, quæ nascantur & occidant. Alijs naturale quidem esse, sed tamen æternum, ac de solis generabilibus, quorum causas explicabat, Aristotelem locutum. Alij concedunt statum, vel quod in fine sit suo, & nunquam ab eo recedat. Ita enim & reliqua naturaliter quiescere, quum finem suum (vt diximus) sunt nata. Vel ratione polorum & axis, quæ nunquam mouentur. Quod vero ad terram, & cæteras elementorum vniuersitates spectat, aiunt aliqui (veluti Philoponus) eas etsi

motus

motus in loco principium intra ſe non habeant, alterationis tamen habere. Quippe, quæ caleſiant, & frigeſiant, & terra germinet ex ſeſe, & quamquam non tota ſimul mutentur & alterentur, partibus tamen mutari & alterari. Nec ſi hæc a principio externo (veluti a Sole) alterantur, non omnino tamen internum excludi, quomodo nec in animalibus cum alterantur, quamquam a Sole alterentur & moueantur. Sed hos omnes a vero aberrare perſpectũ eſt. Nam & cœlum naturale corpus eſt, quod paulo poſt oſtendemus, & vniuerſim de naturalibus omnibus Ariſtoteles locutus. Omnia cũ (inquit) quæ natura conſtant, in ſe habere motus, & ſtatus principium videntur. Quare de rebus, quæ natura fiunt, & oriuntur, etſi loqueretur, cauſaſque earum exquireret, & ab his, quæ ab alijs cauſis proficiſcuntur, diſtingueret, vniuerſalem tamen propoſitionem protulit de omnibus natura conſtantibus, qua differentiam illam monſtrauit. Ad polos autem & axem, quæ minime ſunt, & imaginatione potius quã re ipſa conſtant, recurrere vanum videtur. Cum præſertim perſpicuum, vt cœlum corpus ſolidum eſſe, ac continuũ, cum mouetur, totum moueri, nec aliquam in eo partem poſſe quieſcere. Cœlum autem totum quieſcere, quod in fine ſit ſuo, & ab eo, in quo eſt, loco nunquam recedat, quamquam aliquo modo dici poteſt, illudq; etiam ab Ariſtotele in octauo de naturali Auſcultatione tradi videatur, proprie tamen non dicitur, nec eum in loco ſuo ſtatũ. Cũ perpetuo conuertatur, quietem vnquam Ariſtoteles nominauit. Quies enim naturalis naturalem motum, aut antecedit, aut ſequitur. Quod de illo Cœli ſtatu dici non poteſt. Motui namque recto ille opponitur, qui cœlo natura non conuenit. Quare probabiliter potius, & concinne dictum id videtur, quam vere & ſcite, Terram autem, aut cæteras elementorum vniuerſitates alterationis principium intra ſe habere, antea vt falſum reiecimus. Quod cum hi quoque ipſi cum animaduertiſſent ad motionem in loco recurrerunt, eiuſq; principium in eis ineſſe confeſſi ſunt. Dicendum igitur potius (quemad

modum

modum in eius loci interpretatione aliàs ſcripſimus) quæ natura conſtant, motus & ſtatus, quibus ea naturaliter ſubijciuntur, principium intra ſe habere, ita vt ſi moueantur, motus principium habeant, ſi cõſiſtant, ſtatus & quietis, ſi vtroque modo ſe habeant, vtriuſque. Quam interpretationem Porphirius primum, tum Philoponus, & Simplicius videntur tandem probaſſe, veluti eam, quæ cum paucioribus difficultatibus eſſet coniuncta, nec vllam Ariſtotelis verbis violentiam afferret. Portius autem, qui hunc interpretandi modum ridiculum eſſe ait, multo magis ridendus, quippe qui nullam eius riſus cauſam affert, niſi quod ſenſu percipiamus res naturales motum, ac quietem habere. Quod aliud nil eſt, quam petere principium, cum nec cœlum videatur quieſcere, nec terra vniuerſa moueri. Quod autem terræ partes moueantur, nil ad quæſtionem attinet, quæ de tota eſt terræ vniuerſitate. Rurſus probatio, quam ſubijcit, ſuum ipſius dogma refellit, vt ipſe ſe ſuo (vt aiunt) gladio iugulet. Nam, ſi mundi ſtatum in tria (vt ait) partitur philoſophus, in ea quæ ſemper mouentur, vt ſunt cœleſtia, in ea, quæ ſemper quieſcunt, quod eſt terra vniuerſa, & in ea, quæ & mouentur & quieſcunt, quæ ſunt alia intra cœlum & terram interiecta, profecto patet in rebus naturalibus, quibus mundus conſtat, non ſolum ea eſſe, quæ mouentur & quieſcunt, ſed etiam ea, quæ aut mouentur ſolum, aut quieſcunt. Quod ſi cœlum a rebus naturalibus eximat, terram quoque eximere videbitur. Itaque nec omnibus natura erit communis, quæ oriuntur, & intereunt, quod ille tamen teſtatur. Habet item terra principium motus in ſe. Quod ſi forte fortuna ac caſu aliquo de medio mundi tolli poſſet, ac ſibi deinde dimitteretur, in locum ſuum ex interno principio regrederetur. Cœlum autem, quod moueri perpetuo natum eſt, nec poteſt vllo caſu e loco ſuo depelli, quippe cum omnia occupet, nec locus maneat, in quem depelleretur, non idcirco tamen vbi regreſſum eſſet, quieſceret, nullum quietis principium intra ſe poteſt habere. Ita irrequieto motu ſemper conuertitur.

Quo-

Quomodo autem è naturalibus corporibus non propterea ſecludatur, quod Portius, & alij nonnulli exiſtimarunt, iam doceamus.

Cœlum in naturalibus rebus contra aliquorum ſententiam numerari, naturamque intra ſe habere.
Cap. IIII.

QVamquam ad eam, quæ de Cœlo eſt, diſputationem diſquiſitio hæc, vtrum naturale ſit, nec ne, fortaſſis magis ſpectaret: quoniam tamen nec omnino ab hoc loco eſt aliena, & ad naturæ pleniorem intelligentiam conducit, id diſquiretur. Cum præſertim hi, quos refellere inſtituimus, Portius & alij hoc ipſo in loco, vbi de natura agitur, de re hac diſputarint. Principio autem quæ ab eis afferuntur, paucis recenſebimus, tum quemadmodum naturale ſit dicique debeat, rationibus contrarijs refutatis oſtendetur. Cœlum igitur, & hæc inferiora iudicio ſenſus aiunt non ſubijci, ac naturam, quæ ab Ariſtotele deſcribitur, materiam & formam rerum earum eſſe, quæ oriũtur, & occidunt. Namque & has in primo libro de Naturali Auſcultatione inueſtigandas ſibi propoſuiſſe. Vnde & naturã in ſubiecto eſſe pronunciaſſe; Res item naturales, quarum a non naturalibus differentiam ante naturæ explicationem, definitionemque tradidit, ortui & interitui præter cœlum obnoxias eſſe, ob eamque cauſam rerum generabilium naturam deſcribi. Cœlum item, effectum naturalem non eſſe, eamque ſolum explicari naturam, quæ in effectibus naturalibus cernitur. Vnde & naturam a Deo ſeiungi, cum dicitur Deum & naturam nihil fruſtra facere. Quaſi cœlo cauſa ſit Deus, ſublunarium, natura. Status rurſus, ſeu quietis, quæ finis eſt motus, nullaque in cœlo ineſt, naturam principium ſtatui. Nec particulam, &, in definitione naturæ poſitam diſiunctim, vt Porphirius, & Philoponus putarunt, intelligendam.

dam. Quin & intelligentiam, quæ cœli forma est, naturam non esse. Cum intellectum in primo de Animalium partibus naturam esse negauerit, nulliusque motionis principiū esse statuerit. His rationibus cœlum naturale corpus non esse, nec in eo naturam, quæ tradita est, & explicata, inesse, perspicuum fieri existimant. Qua re, aliqua tametsi adsit probabilitas, atque etiam efficacitas, non id tamen, quod ij volunt, efficiunt. Nam nec quæ sumuntur in eis omnia cum vero consentiunt, nec recte etiam colliguntur. Quod vt perspectum magis fiat, quibus rationibus cōtrarium astruatur, primum docebimus. Cœlum igitur corpus cum sit, nisi naturale sit, mathematicum profecto, quod a nonnullis inuehitur, aut metaphysicum erit. Quorum neutrum statui cum possit, nec a nemine vnquam statutum est, naturale vt sit, necessario relinquetur. Mouetur item, ac sensui subijcitur, cœleste corpus siquidem spectatur. Quæ duo nisi naturalibus corporibus conueniunt, vt reciprocentur inter se tria hæc, naturale, sensile, mobile. Nilque sit mobile & sensile, quod non naturale, & contra. Nec solum mouetur cœlum, sed naturaliter mouetur. Quod esse non potest, nisi motionis principium intra se habeat, quod aliud nil esse, quam naturam Aristoteles tradidit. Atque hoc fundamento nixus, quod motu simplici, qui ab elementorum motu diuersus sit, naturaliter cieretur, cœlum simplex corpus esse ab elementis ipsis diuersum optima methodo ostendit, quippe cum simplex quisque motus, alicuius est simplicis corporis naturalis proprius. Est præterea cœlum qualitatibus naturalibus affectū, veluti raritate, densitate, lumine, perspicuitate, opacitate, vt nisi naturale esse non possit. Naturale autem proprie non similitudine duntaxat, vt illi existimant. Nam natura quidem de rei cuiusque essentia similitudine quadam dicitur, veluti cum artis & operum eius naturam suam esse dicimus, quemadmodum statuæ, & reliquorum eius generis. Sed nō hac ratione & modo cœlestia corpora naturalia dicuntur: Verum quod moueantur, quod sub sensum cadant, quod

P ma-

materia constent, etsi a rerum sublunarium materia diuersa, quæ omnia naturæ, ac naturalium rerum sunt propria. Sed illud tamen animaduertendum, naturę, seu naturalis vocabulum, si eius ethimon inspiciamus, ijs maxime proprie congruere, quæ nascuntur, ac pullulant. Ita Aristoteles in prima philosophia ait, naturam vno modo dici eorum, quæ nascuntur, ac pullulant ortam, alio modo id, ex quo nascitur primo, id, quod nascitur, ita vt insit. Cum enim φύομαι sit nasci, natiuitas, seu ortus φύσις merito nuncupatur. Quemadmodum cum ποιῶ sit facere, ποίησις effectio dicitur. Sed præter hanc significationem, quæ in Naturali etiam Auscultatione posita est, aliæ sunt ipsius naturæ communiores. Quibus dicitur non in his solum, quæ nascuntur, verum & in alijs omnibus, quæ mouentur. Ita dictum est, naturam dici id, vnde primus motus est in vnoquoque eorum, quæ natura constant, quatenus ipsum est. A qua non dissimilis naturæ explicatio ea est, quam nunc ex naturali Auscultatione explanamus. Et illa quidem cœlo etiam conuenit, quippe, quod mouetur, & motus sui principium, quia naturaliter mouetur, intra se cohibet. Nec enim conuersionis eius principium naturam non esse putandum est. Nam quintum simplex corpus ab elementis diuersum monstraturus Aristoteles, ita exorsus est. Naturalia (inquit) omnia corpora & magnitudinis loco per se mobiles esse dicimus, naturam enim motionis principium eis esse astruimus. Omnis autem motio, quæ in loco fit, aut recta est, aut in orbem, aut admista. Ex quibus verbis & cæteris quæ sequuntur perspicuum fit, quemadmodum recta ratio, ita & cõuersionem ad naturam, vt ad principium referri. Proinde cum dicitur, naturam motionis esse principium, ea etiam comprehenditur, qua cœlũ conuertitur. Ac quamquam in naturalis Auscultationis prioribus libris rerum, quæ maxime oriuntur, & occidunt principia, veluti materia & forma, inuestigentur, ac de eis natura in primis, ac maxime proprie dicatur. Communiter tamen ad id omne extenditur, quod eius in quo inest motio-

nis

nis principium eſt, & cauſa. Quid autem obeſt, quo minus naturam de cœli materia, ac forma vere enunciemus. An quod duo hæc ſimilitudine (vt illi aiunt) ſola non item vere, ac proprie cœlum acceperit. Hoc vero dici non poteſt. Siquidem cœlum corpus eſt, & corpus omne, quamquã ſimplex, materia conſtat & forma, quæ, ſi corpus æternum eſt, a rerum caducarum materia, & forma diuerſæ ſunt. Vnde Ariſtoteles materiam cœlo nunquam negauit, etſi diuerſi generis a materia corruptibilium eſſe eam conſtituit. Quod ſi in cœlo materia proprie, ac vere eſt, forma quoque neceſſario inerit, quippe cum materia ſine forma eſſe non poteſt. Formam autem nunc dico, quæ materiam illam informet, non intelligentiam, quæ vt nauta naui, & Imperator exercitui aſſiſtit ſolum, & moderatur. Nam quamquam cœli materia a noſtra diuerſa eſt, ſemperque actu, nec vllius priuationis, ad nullam nempe aliam excipiendam formam habilis, ipſa tamen per ſe, & natura ſua, & quatenus materia, actu non eſt, ſed per formam, quæ in illa inhæret, quomodo ignis forma in ſua materia. Quæ res etſi multis Auerrois dogmata ſectantibus, & eis ſacramento quodam addictis, abſurdior fortaſſe videbitur, ita tamen eam ſe habere in diſputationibus de Cœlo oſtendetur. Porro cœleſte in corpore formam ineſſe, eamq; materialem, hoc eſt materiam illam informantem, & ad eius materiæ extenſionem, ac diuiſionem extenſam, ac diuiſam, indicauit Ariſtoteles, cum naturalis conſiderationis terminum inquirens, eas tantum formas naturali philoſopho conſiderandas tradidit, quæ materiam habent coniunctam, ſiquidem tales ſunt, quę generationem efficiũt. Cuius rei exemplum adiecit, hominis & Solis. Ab homine (inquiens) & Sole hominem procreari. Ita Solis formam inter eas, quæ a materia ſeparatæ non ſunt, numerauit. Quoniam igitur in cœlo, & materia proprie ineſt, & forma, quæ cum ea cohæret, quoque ob eam cauſam naturali philoſopho ſubijcitur, vtramque naturam eſſe, & id quidem nõ aliena ſignificatione ſi dixerimus, a vero non aberrabimus. Nec

quod naturam in subiecto esse Aristoteles dixerit, efficit, vt earum tantum rerum sit, quæ gignuntur. Nam cœli forma, quæ eius natura est, vt in subiecto, quomodo & aliæ formæ, inhæret. Nec si res naturales, a quibus ad naturam explicandam exorsus est, præter cœlum oriantur & occident, ideo earum tantum natura descripta est; imo vero omnium, cum omnes moueantur, & quia naturales sunt motionis principium intra se complectuntur. Cœlum autem etsi naturalis effectus non est, propterea quod genitum non sit, corpus tamen naturale est, e materia & forma concretum. Cuius, vt cæterorum naturalium corporum, natura est definita. Quatenus etiam mouetur, effectus quodammodo dici potest. Quippe, quod ab illa moueatur. Nec alia efficientia eo in loco naturæ tributa est, quam motionis. Non enim ortus & procreationis, quandoquidem id, in quo est natura, ab ea non oritur, nisi idem se gignere fateamur. Cœlum autem a sublunaribus non ideo genere distinguitur, quod a Deo id sit, hæc a natura. Vt enim hæc, ita & illud natura constat. Sed hæc genita sunt, & in naturam, vt in procreantem, referuntur, illud æternum, quod tum naturaliter, tum ab intelligentia mouetur. In cœlo igitur natura cum sit, & ad eã conuersio, qua continenter cietur, vt ad principium referatur, id quod de quiete in naturæ descriptione positum est, naturæ omnis commune non est, sed eius solum quæ in his inest, quæ consistere apta sunt, ac motionis suæ terminum aliquẽ habere. Nullum autem omnino incommodum existit, si ita interpretemur, vt antea docuimus. Cum tamen innumera contingat, si a rebus naturalibus cœlum eximatur, & similitudine tantum quadam naturale statuatur. Cœli vero intelligentia, qua ex parte est intelligentia, natura non dicitur. Sed nec vt cœlum mouet, naturæ habet rationem. Quandoquidem in materia, vt in subiecto, non inest. Illa vero cœli (vt diximus) forma non est, quæ eius materiam informat, sed moderatrix solum & motrix. De qua re in his, quæ tum de cœlo, tum de ipsis intelligentijs disquiremus, copiosius
disse-

differetur. Hunc in modum eorum rationes, qui a cœlo naturam remouent, nec naturale id esse statuunt, videntur (vt existimo) solutæ. Sed his, quæ dicta sunt, pro eius, quod asserimus dogmatis confirmatione ampliori id quoque adijciendum, Aristotelem in octauo de prima philosophia, inter substantias naturales aperte cœlum numerare. Substantiatum (inquit) aliæ ab omnibus conceduntur in rerum ratione esse, aliæ allatæ a quibusdam propria opinione fuere. Et primæ quidem naturales substantiæ sunt, ignis, terra, cætetaq; simplicia corpora, deinde plantæ & partes earum, iteq; animalia, & animalium partes, & tandem cœlum, cœlique partes. Secundæ vero ideæ, & mathematica ipsa. Hæc ibi. In quibus perspicuum est, cœlum inter naturales substantias recenseri, nec vllum discrimen inter ipsum, & alias positum, quod videlicet ipsum similitudine sit naturale, aliàs proprie, vt alij somniarunt. Quemadmodum autem cœlum cum naturale sit, naturamque in se motionis principium habeat, ab intelligentia tamen moueatur, quod Aristoteles in duodecimo de prima philosophia tradidit, indeq; earum numerum inuestigauit, in his, quæ de cœlo, exquiretur. Res enim est multi momenti, & magnæ considerationis, quæq; difficultates multas coniunctas habeat. Nam & diuersæ maximorum virorum de ea re extiterunt sententiæ, alijs alium modum afferentibus, quo hæc cohærere possint inter se, cęlum naturaliter, & ab interno principio moueri, idemque ab intelligentia. Nam quod aliqui naturalem nullo modo esse, sed volũtarium cœli motum tradiderunt, nec Aristoteles, quem merito admirantur, dogmata perpẽderunt, nec quę ex clarissimis eius interpretibus sunt prodita. Sed ad reliqua, quæ instituti nostri sunt, pergamus.

P 3 Natu-

Naturæ definitionem animæ congruere, eamque naturam quandam perfectiorem eſſe. Cap. V.

MOtus & ſtatus, ſeu quietis eius, in quo ineſt principiũ,& cauſam naturã eſſe, illamq; in rebus naturalibus inueniri, eoque nomine a rebus arte factis differre, cœlumq; etiam inter naturalia corpora numerari, & hanc, quæ definita eſt,naturam intra ſe cohibere, oſtendimus. Quæritur autem, an natura ad animam quoq; extendatur,vt illa quoque naturæ nomine dici rectè queat, an vero quid eſt,a natura penitus diuerſum. De qua re cum ſatis in lib. de Dogmatibus, quid de Ariſtotelis ſententia dicendum eſſet,diſſeruerimus, animamq; Ariſtoteli naturam eſſe contra Simplicium docuerimus, ne idem toties repetatur,nil præterea a nobis dicendum. Quoniam autem Plato ab anima naturam diſtinxit, & quid anima inferius,ac ignobilius eſſe ſtatuit, ob eamque cauſam diſſentire inter ſe de re hac ille, & Ariſtoteles videntur: vter eorum rectius ſenſerit paucis docendum. Videri autem poſſit Plato rectius ſtatuiſſe. Multum enim inter naturam & animam diſcriminis videtur. Primum definitiones,ſeu rationes diuerſæ ſunt. Nec ita ſolum diuerſæ,vt ſpeciei,& generis,ſeu minus & magis communis. Nam in ſpeciei, ſeu minus communis ratione generis ratio, aut ipſum genus ponitur, quod in animæ definitione non fit. Ita fit vt naturæ ſpecies quædam dici non poſſit. Per naturam enim,vt ſuum genus definiretur. Natura item per vniuerſum, id cuius natura eſt æquè extenſa eſt, & eius diuiſione diuiditur,quomodo in igne,& aqua,quod de anima dici non poteſt. Quæ & in principe quodam corporis eſt loco,vnde ad vniuerſas eius partes extenditur, & indiuidua eſt,nec corporis diuiſione diuiditur. Vnus item agendi ſeu efficiendi naturæ eſt modus determinatus, quem perpetuo obſeruat,ac ne latum quidem pilum ab eo,niſi impediatut,

tur, discedit. Cum anima in vtramque contradictionis partem potestatem obtineat, vt in animalium motu licet videre. Grauia semper ex natura sua deorsum feruntur, vt sursum leuia. Cum tamen modo in hanc, modo in illam partem animalia moueantur. Simplicij item rationes in lib. de Dogmatibus a nobis commemoratæ, hoc ipsum confirmant, quæ quamquam ex Aristotele videntur solutæ, aliquam tamen retinent efficacitatem, si animam naturæ speciem nullam (vt antea attigimus) ponamus. Illa maxime vrget, quod anima actus dicitur naturalis corporis, ad illudque, quod iam naturale est, accedit, aut ex eius potentia educitur. Quod esse nõ posset, si anima esset natura. Ita nàmque duplici natura animans constaret, ac proinde duplici essentia. Siquidem cuiusque rei natura, eius est essentia. Vna autem vnius rei essentia est, nec vna perfectior, altera imperfecta, quod de natura eo in loco dicebatur. Vnica item in quoque animante anima est, naturæ diuersæ. Quippe cum carnis natura & ratio ab ossis, ac cæterarum partium natura differens est, quæ tamen vnica anima continentur. Motus præterea naturalis, quo naturalia corpora naturaliter mouentur, aut rectus est, & is vel in superum, vel in inferum, aut in orbem. Sed horum nullus ab anima existit. Nam si intelligentia orbes mouet, ea, anima non est (vt antea diximus) vtpote separata, & moderatrix tantum. A natura igitur motus illi solum cum sint, ab ipsa anima eam differre necesse est. Hæc & eius generis alia animam & naturam inter se differre, nec de anima naturam dici, possunt ostendere, quæ his confirmantur, quæ a Platonicis tradita sunt. Sed aliæ sunt non minus efficaces rationes, quibus anima natura esse videatur. Primum quidem naturæ ratio animæ congruit. Quippe cum motionum principium sit eius, in quo inest, primum per se, & non ex accidenti. Motiones autem eas dico, quarum principium naturam esse Aristoteles cum ponat, in aliud, quam in animam referri non possunt. Veluti accretionem, & imminutionem, alterationemque eam, qua ex se animalia alterantur. Hæc

enim ab anima omnibus fatentibus proficifcuntur, quæ eadem naturæ funt opera, hoc eft eius interni principij, quo naturales res a non naturalibus differunt. Nec enim folius la tionis principium natura eft, non item eius tantum accretio nis, quæ additione fit, feu accumulatione, vt Simplicius putauit. Veræ ac propriæ accretionis, quæ animalium propria eft, itemque alterationis, quæ animæ eft opus, principium naturam Ariftoteles pofuit, nec Plato diffenfit, cum generare omnia, vitamque omnibus naturam impartiri ex illius fen tentia Platonici doceant. Natura etiam cum rei cuiufque effentia & ratio maxime fit, de anima dici non poteft. Animati enim corporis forma, ac effentia anima eft, ante cuius acceffum, nec ftirpis vllius, nec animalis natura vlla effe dicitur. Sed cum hac ratione animam omnem naturam effe efficiatur, de ea, quæ in ftirpibus ineft, atque etiam in animalibus qua ex parte cum illis conueniunt peculiaris ratio formatur. Eius enim vi, ac efficientia & ftirpes & animalia φύεσθαι, id eft nafci ftatuuntur, vt φύσεως, id eft naturæ vocabu lo iure illa debeat nominari. Vnde & Stoici hanc animam, feu animæ facultatem naturam, non animam, vocauerunt: quorum Dogma Galenus probauit, qui huius animæ vires naturales, phyficas, & de naturalibus facultatibus libros eos infcripfit, in quibus eas tractauit. Quin & veteres hanc animam naturam effe exiftimaffe inde intelligitur, quod animatum ab inanimato fenfu folum, & motu diftinguerent, quorum neutrum huius animæ proprium eft. Sed hæc, feu Stoicorum, feu aliorum veterum non eo adducimus, quod cum illis confentiamus, hancque animam, feu animæ partem, ani mam effe cum illis negemus, fed vt manifeftum fiat, naturæ vim, ac rationem ei congruere. Quin & Platonici idipfum fateri coguntur, qui naturæ generationem, ac vitam rebus impartiendi, quod animæ proprium eft, attribuunt, quique animam cum Platone per vniuerfum fufam, quomodo & na turam exiftimant. Ariftoteles autem, qui animatum mundum non facit, nec animam per eum totum extenfam, ani-
mam

mam a natura distinguere magis debet, quod tamen, vt dictum est, non facit. Cum autem ex his, quæ attulimus, animam naturam esse perspiciatur, intelligendum tamen non cum ea reciprocari, nec eandem plane animæ vim esse, quæ naturæ, cum minus commune quiddam sit anima, ideo speciem esse, quomodo homo animalis. Communior naturæ ratio est, vt quæ in corpora omnia naturalia pateat, animæ tantum in animata. Ideo anima natura minus communis, eaque perfectior, ac nobilior quam quæ in corporibus animatis. Vt autem gradus quidam in animalibus insunt, ita & in natura. Et quemadmodum, quod minus perfectum est in perfectiori continetur, ita & minus perfecta natura in ea, quæ magis perfecta est. Quemcunque tamen naturæ gradum aliquid acceperit, id naturale dicitur, ac natura constare. Cumque natura in simplicibus corporibus, & elementis primum spectetur, vt quæ motus principium intra se habeant, hanc vnam naturam esse existimatum est, & quæcunque naturalia sunt, huius beneficio esse, quamquam animam præter naturam acceperint. Sed quod in illis ea natura est, quæ motum illum efficit, in cæteris, quæ animata sunt, anima est, a qua illorum motiones proficiscuntur. Quod si & simplicium motu mouentur, non tamen quatenus animata, sed vt illorum constant admistione. Eorum autem vt animata sunt, natura sua esse dicitur, quæ antequam animam accipiant, natura constare minime dicuntur. Nec vero naturæ, & animæ rationes plane diuersæ sunt, vt enim ea, qua, animam corporis naturalis organici entelechiam esse, Aristoteles animam definiuit, a naturæ differat ratione, non tamen ea omnino differt, qua dicitur principium esse, quo viuimus, mouemur, & sentimus. Vtraque enim per principium allata est, & illud quidem motionum earum, quibus, quod illis præditum est, mouetur. Sed in naturæ descriptione motus in genere positus est, nec in species suas distinctus, vt in ea, quæ animæ est, factum est. Sed & natura entelechia quędam est, quamquam non solius corporis organici. Est enim

vt

vt traditur, forma, quamquam & de materia dicitur, & de generatione. Nec vero species proprie est naturæ illius communioris, sed ita inter se videntur habere, vt vegetatrix anima & sentiens. Quarum illa communior cum sit, in omnibus inest, in quibus sentiens. Quemadmodum & natura in omnibus, in quibus est anima. Cum tamen vtraque naturæ vocabulo nuncupetur. Quomodo & illæ animæ facultates, seu partes. Hoc discriminis est, quod sentiens anima virtute in se vegetatricem continet, vt quadratum triangulum, cum anima naturam illam communiorem in se hoc modo virtute non habeat, nisi quatenus ea necessario in illis inest, in quibus anima. Siquidem anima naturalis corporis actus est. Quo quidem modo sentiens in rationali, virtute inest, quæ non ita inest, vt vegetatrix in sentiente, quod rationalis animæ diuersum sit genus, quod in se eo modo habere non potest sentientem. Quare actu vtraque inest, quamquam rationalis, seu mens ipsa sentientis perfectio est quædam. Ita igitur & natura illa communior, quæ elementorum propria est, & hæc minus communis, quæ anima est, simul insunt, quod ex earum operibus agnoscitur. Nam in animato, animæ opera cernuntur, viuere, nutriri, moueri, naturæ item alterius, videlicet deorsum ferri ob grauitatem, nisi detineatur, aut ab anima, aut ab alio. Cum igitur anima naturæ species proprie non sit, per eam definiendam non erat, quomodo nec rationalis eius pars per sentientem. Naturæ tamen ratio in animæ ratione posita videtur, cum dictum est, animam principium esse, quo viuimus, mouemur, & sentimus. Quid enim hoc aliud est, quam animam principium motus & status eius, in quo inest, esse primum & per se. Cũ præsertim motus sint quidam & status, quorum principium aliud. quam anima esse non potest, veluti accretio & imminutio, itemque (vt dictum est) alteratio ea, quæ ab interno principio existit. Primus item ille naturæ communior gradus is est, qui per vniuersum est fusus, quique in rebus inest etiam inanimis, & simplicibus corporibus, & lapidibus, & me-

metallis, quique materiæ & corporis diuisione diuiditur, cuius item agendi vnus est, & determinatus modus. Quamquam & anima est quædam, seu eius facultas, quæ hoc modo agit, ad vnum determinata, nempe vegetatrix. Auget itē quo ad rem definitam magnitudinem perduxerit, nec nunc quidem vno modo agit, mox vero alio. Cum autem diuersi hi naturæ, quos diximus, gradus sint, & vterque in animato insit, nil mirum si anima ad naturale iam corpus accedit, naturale inquam natura illa communi & minus perfecta, quæ materiæ locum quodammodo subit, ad hanc, quæ perfectior est, collata. Quamobrem duplici animatum essentia nō constat. Propria enim eius essentia anima est, quæ communioris naturæ perfectio est quædam. Quomodo nec hominis duplex est essentia, tametsi in eo expers rationis anima, videlicet sentiens, & mens identidem insit. Quæ autem diuersæ sunt in quoq; animante naturæ, vt ossis, carnis, & aliarum partium, animati illius naturæ non sunt, sed earum rerum. Ac fortassis etiam vnica est earum natura, nempe anima, quæ illarum est forma, quamquam diuerso tēperamento constant. Sed particulares multas eiusmodi naturas in vno & eodem inesse, quod præter eas vna etiam constet perfectiori, absurdum non est, immo vero necessarium, alioque multa illa dissoluerentur, nisi quid esset, quod eas contineret. Motus autem naturales, quo sursum, aut deorsum corpora mouentur, a natura illa communi (vt dictum est) existunt. Motus vero in orbem ab anima est, seu forma cœli, sua etiam ab intelligentia, quę intelligentia quamquam mouet, natura tamen proprie non est, propterea intra cœlum, vt forma, non insit. Quomodo nec mens hominis proprie natura appellatur, cum ne illa quidem in eo, vt informans forma, quæ materiæ inhæreat, insit, nec motionis hominis principium sit, quomodo sentiens, & reliqua natura. Ideo ab Aristotele in primo de Animalium partibus a naturali consideratione seclusa est; Ita rationibus omnibus, quæ contrariū docere videbantur, dissolutis animam naturæ definitione com-

comprehensam esse, naturamque dici posse, licet nõn illam communiorem, quæ in rebus omnibus naturalibus inest, perspicuum (vt existimo) factum est. Cæteras autem Simplicij in libro de Dogmatibus dissoluimus. Rectius ergo Aristotelem, quam Platonem, ac re statuisse relinquitur. Quam quam verisimile est, naturam eam, quam ab anima disiunxit, & eam interiorem fecit, eam esse communem naturam, quã Aristoteles etiam in naturalibus omnibus ponit, ab anima diuersam. Sed tamen illud non recte, quod generationem omnẽ, & vitam ei impartiatur, cum hęc potius animæ, quam naturæ sint propria.

An naturæ definitio ab Aristotele tradita, eius vim, & rationem explicet, anque fuerit syllogismo ostensa.
Cap. VI.

ILlud autem explicandum manet, qu amob rem Aristoteles naturam definitione explicarit, eiusque definitionem ratione quadã veluti collegerit. Cum eam esse, & quid sit, per se notum, vt antea tradidimus, quodãmodo esset, ita vt nullam vlteriorem explicationem desideraret. Cum item naturæ diuersæ sint significationes, eaque de diuersis dicatur, quæ illa sint, & quæ natura in eis maxime proprie dicitur. Nec illud dubietate videtur carere, vtrum, quę tradita est naturę definitio, eius vim & tationem omnino explicet, necne. Atque vt ab hoc poa stremo ordiamur, fuerunt, qui hac definitione, quid natur. sit, explicari noluerunt, sed eius tantum opera, & actionesa Quod si eius vis, & ratio sit explicanda, dicendum potius n, turam esse vitam, aut facultatem in corporibus distributam, eorum formatricem, & administratricem, eius, in quo inest primum & per se motionis & status principium. Atque hoc Philoponus sensit. Qui hac definitione animam etiam comprehendi, quæ animatorum natura est. Sed dici potest

quam-

quamquam hac definitione, naturæ actiones, & opera tradantur, nõ tamen etiam vim & rationem non indicari, cum ea potissimum in operibus ipsis cernatur. Cum enim dicitur principium esse, intelligitur profecto aliquid esse, oportere, quod principium sit, & illud quidem substantiam aliquam. Quippe cum accidens talium operationum ipsum per se absque substantia principium esse non potest. Est autem definitio ex operibus tradita, quomodo & illa animæ, qua dictum est, eam principium esse, quo viuimus, mouemur, & sentimus. Nam quod antea animæ aliam definitionem attulerat, quæ eius substantiam indicaret, quæ de natura non attulit, idcirco factum est, quod animæ natura obscuriot esset, nec adeo omnibus obuia, vt naturæ. Quæ etiam allata est a Philopono definitio, non animam solum comprehendit, verum illius solius propria videtur, quippe cum vita aut anima sit, aut illius opus. Sed Platonicos hac in re imitatus, qui naturam omnia generare, omnibusque vitam impartiri voluerunt, eaque ratione definiuerunt. Nisi fortasse vitam & illi, & Philoponus communioti significatione acceperint, quod si cum arte factis rebus res naturales conferantur, viuere quodammodo cum illæ mortuę veluti iaceãt, videantur. Nam cum motus vitæ indicium sit maximum, naturalesque res ex se moueantur, & a principio interno, vitam quadam participatione oẽs cupere videntur. Sed ea vita non est, sed inferior quædam vis, quæ motum illum, seu in igne, seu in alijs excitat. A vita actiones, & motus præstantiores fiunt, veluti sibi similis procreatio, nutritio, accretio. Quo circa ab arte factis vitæ participatione res naturales nõ differunt, nisi etiam sint animatæ, sed ideo interno (vt antea dictum est) motionis per se principio. Non igitur per vitam, aut ex vita in genere definienda natura est, sed ex aliquo communiori, quod rebus etiam non viuentibus congruet. Si ergo traditam ab Atistotele definitionem complere quis velit, non vitam adijciat necesse est, sed substantiam, vt dicatur, naturam esse substantiam, quæ motionis & status

prin-

principium sit,&cæt. Quemadmodum cum dicitur formam substantiam esse, quæ actus est, & materiam substantiã quæ potentia,licet interdum etiam substantiam nulla facta mentione,hanc potentiam,illam actum Aristoteles definiat. Sed iam videamus, cur cum nota esset natura, eam definiuerit, definitionemque ratione quadam veluti ignotam collegerit. An vero eam esse,notum erat, vt antea est explicatum, non tamen quid esset omnino intelligebatur, ideoque doceri oportuisse,nec commodius fieri potuisse, quam ex rerum arte factarum,& earum,quæ naturales dicuntur,discrimine. Sed hoc in loco discordauit Auerroes ab Auicenna. Nam ille hanc definitionem demonstratione opus habuisse existimauit,ideoq; alibi etiam ostensum, quemadmodum natura motus sit principium. Veluti cum septimo & octauo Naturalis Auscultationis,omne quod mouetur mouentem habere monstratum est, quod in omnibus perspicuum erat, præterquam in elementis. Cum item in tertio de Cœlo traditũ est, grauitatem & leuitatem in his ipsis elemẽtis inesse. Auerroes autem air eum hallucinatum. Nec enim Aristotelem ostendisse,quod mouetur mouentem habere,nec dubitasse, an elementa ex se moueantur. Sed vtrum motor in eis,ab illis diuersus sit,idque esse explicatum. Cui explicationi causam Plato dederit, qui aliquid se mouere putauerit. Quod autem ad definitionem traditã attinet, eam quidem ex his, quæ allata sunt, collectã, non tamen vt ignotum quid ex notis. Nam syllogismo hypothetico conclusam. Cuius natura est,vt quod est per se notum aliquo modo confirmetur,non vt quod ignotum est ex notis ostendatur. Qua in re a Simplicio dissensit, qui definitionem eiusmodi syllogismo categorico tum primæ, tum tertiæ figuræ colligi posse affirmauit. Et hæc quidem omnia recte ab eo tradita videntur. Nam sic allata ea naturæ definitio est, quasi nullo modo monstrata,sed vt per se nota, & veluti causa eius discriminis, quo a rebus arte factis,quæ naturales sunt, differunt. Nec enim illata est,quare natura principium est,&c.sed, tanquam natu-

ra principium ſit, vel, propterea quod natura. Illud enim ὡς οὔσης τῆς φύσεως; ita vertendum. Cumq; ex eo, quod dictũ eſt, rerum naturalium ab alijs diſcrimine illa ſubijciatur, ſi cum Auerroe ſyllogiſmo hypothetico cõcluſam dixerimus, non omnino a veritate aberrabimus. Ponendum enim eſt, res naturales eo, quo dictum eſt, ab arte factis differre. Illud vero, quod aliqui tradidere, dictum, tãquam natura ſit principium, prorſus a vero alienum, & eorum hominum, qui verborum Græcorum vim ignorarũt. Eſt enim natura vere principium, naturaliumq; motionum principium internum eſt, non externum, vt illi ſcripſerunt. Nec cauſa de fine tantum proprie dicitur, ſed etiam de efficiente, & forma. Sed illud omnino ridiculum, quod cum naturam veri principij rationem habere negent, artem tamen, cum qua cõfertur natura, verum principium eſſe aiunt. Quaſi hoc inter naturam, & artem diſcrimen Ariſtoteles poſuerit, ac non potius illud, quod natura in eo ſit, cuius motionum principium eſt, ars vero extra. Nec minus ab eo loco alienum, quod aiunt, dictum, tanquam, quod natura impetum habeat, non ſolum ad mouendum, ſed etiam ad recipiendum, & ad rei naturalis perfectionem, ars vero ſolum ad efficiendum. Quæ omnia nugæ ſunt, ad eum locum minime pertinentes. Ita vero Ariſtoteles locutus eſt, quemadmodum ſi Solem generationis cauſam explicare volentes, ita diceremus. Ad quæ loca Solis calor accedit eaque radijs ſuis vitalibus calefacit, in illis res procreantur, a quibus vero longius abeſt, nec radij Solis pertingunt, omnia illic mortua, nullaque rerum generatio exiſtit, perinde atque Sol generationis omnium ſit cauſa. Nec enim cum ita loqueremur, Solis efficientiam minueremus. Nec igitur naturæ imminuta, cum ita eam Ariſtoteles deſcripſit. Quæ cum ſatis videantur explicata, de quibus natura dicatur, ſubijciendum.

Naturæ

Naturæ descriptio quemadmodum se habeat, & eius diuersos modos, ac significationes. Cap. VII.

Illud mirari non parũ quis possit, quod, cum naturam eo, quo traditum est, modo Aristoteles definiuisset, & quid sit aperte explicauisset, modos subiecit, quibus natura ipsa dicitur, nulla eius, quæ definitione explicata est, significationis facta mẽtione. Nam cum principium motus & status eius, in quo inest, eam esse dixisset, actiuumque, vt tradidimus, principium intellexisset, huius rei nil meminit, nec de aliquo mouendi vim habente dici eam commonefecit. Quin etiam Simplicius potissimam naturæ significationem, qua de efficiente naturalium rerum causa dicitur, ait prætermissam. Quod manifestum fiet, si modos ab illo traditos, & cur tot illis modis dicatur natura, doceamus. Duo autem sunt præcipui, quorum alterum magis proprie est, reliquum esse ait, cuius gratia alios attingit, vt propterea quatuor Simplicio esse videantur. Principio igitur primam cuique rei motus principium in se habenti subiectam materiam a nonnullis naturam ait existimare, ex materiæ permanentia ad id censendum ductis. Naturam enim cuiusque rei eam esse, quæ permanet, cæteris, quæ in ea insunt, qualitatibus, affectibusque omnibus mutatis. Atq; hoc materiæ proprium esse, cum cætera, quæ in ea insunt continente, mutentur. Quare cum primam rerum materiam alij ignem, alij aerem, alij aliud posuissent, id, quod quisque statuit, earum naturam esse voluisse. Porro hanc esse cuiusque naturam Aristotelem signo hoc, & argumento comprobasse, quod si lignum, quod lecticæ materia est defodiatur, & ita computruerit, vt germinet, nõ lecticam, sed lignum exoriturum, natura videlicet aliam naturam proferente, forma & figura immutatis. Hoc igitur vno modo naturam dici. Altero formam & speciem, quæ etiam ratio dicitur, & illam

quidem

quidem eorum, quæ motus principium intra se habent. De hac autem dici, quod nil, antequam formam habeat, natura constare, aut suam ipsius naturam obtinere dici possit. Quẽadmodum & in artibus, nil artificiosum, aut ex arte esse dicitur, antequam formam acceperit. Magis autem proprie de forma dici, quam de materia. Quod vnumquodque magis sit, cum actu est, quam cum potestate. Ex materia autem potestate res quæque est, ex forma actu. Quod item forma progignat, aut progignendi sit ratio, siquidem homo hominem generet, non autem materia. Qua ratione Antiphon nitebatur, vt materiam non formam esse ostenderet. Postremo, quod natura, quæ vt generatio dicitur, ita dicatur, propter id, in quod terminatur. Quomodo motus, qui in calorem desinit, calefactio nominatur. Terminari autem in formam, non autem in materiam, quippe cum materia ortum antecedat, forma subsequatur. His duobus modis naturam dici, sed tamen magis secundo, quam primo, id est, de forma magis, quam de mareria Aristoteles tradidit. Simulque attigit, veluti accessorie de composito, & generatione eam dici, idque propter formam, ex qua naturales res dicuntur, & cuius gratia generatio existit, & in quam tandem desinit. Non igitur quatuor modos, vt Simplicius scripsit, per se numerauit, sed duos ex proposito, reliquos ob formam. Quod autem materia & forma constat, tantum abest, vt naturam esse censuerit, vt illud expresse negauerit. Quod (inquit) ex his, natura quidem non est, sed constat natura. Quamquam paulo ante, cum naturam de forma dici traderet, illud concesserit, idque arris, & artificiosorum exemplo confirmauerit. Quomodo enim (ait) quod ex arte est, & artificiosum, ars dicitur, eodem plane, quod est secundum naturam, & naturale natura nuncupatur. Ita in hisce dictis pugnantia quędam inesse, nec Simplicius hunc modum absque ratione numerasse videbitur. Sed patet Aristotelem ex proposito eum non posuisse, neque etiam probasse. Vt autem doceret, quomodo forma natura maxime diceretur, eum attigisse. Quasi

Q diceret,

diceret, si res naturalis natura interdum nuncupetur, hoc est ex forma, seu formæ merito, quam in se habet, quæ proprie dicitur natura. Quemadmodum si artificiosum aliquid ars dicatur, ob artem, qua constat, dicitur. Dicendum igitur propter formam duos positos modos, quos non per se tradidit, cum nec etiam proprie dicantur, quemadmodum materia & forma, quæ vere dicuntur natura, tametsi non adeo materia, vt forma. Ideo hos Aristotelem tradere noluisse. Quos cum solum tradiderit, nulla (vt patet) eius naturæ mẽtio facta est, quam motus & status principium esse definiuit. Ita eorum modorum numeratio videtur manca, & imperfecta. Præsertim, quod quinto de prima philosophia, vbi naturæ significata rursus tradit, illud numerat, & a cæteris diuersum facit. Præterea (inquit) id, vnde primus motus in vnoquæque eorum est, quæ natura constant, quatenus ipsum est. Mitto Simplicij dubitationem, qua præcipuam naturæ significationem, pro efficiente, scilicet causa (ait) vt meminimus, præteritam. Nam statim non præteritam adiecit, sed positam, cum natura est definita, traditumque est eam motus, & status esse principium. Item cum dictum est, non ita se habere naturam, quæ generatio est, vt medici ad sanitatem, cum non ab arte medica ad artem medicam via sit, vt a natura ad naturam. Quæ vt ita se habere concedamus, essectricisque naturæ illis in locis mentionem factam statuamus, non propterea tamen cum alijs modis significatio ista est numerata, quemadmodum nec eius, quæ motus & status principium dicitur. An vero cum natura descripta est, ratio eius & vis, seu essentia est explicata, non vnus eorum quibus dicitur modis traditus, ab alijs diuersus. Modi deinde quibus dicitur adiecti, quod alij aliud naturam eam, quam definierat, principiumque illud esse arbitrarentur, alij nempe materiam, alij formam, quorum nunquam principij motus & status vim aliquam obtinet, etsi non eodem modo. Quemadmodum si quis substantiam describens, atque id esse, quod in alio, vt in subiecto non inest, inquiens, animaduersa dein-

de substantiæ multiplicitate modos enumeret, quibus substantia de materia scilicet, de forma, & de concreto. Eodémque modo & sanum si quis primum definierit, tum quot modis dicatur, enumeret, vt magis intelligatur, cui ratio illa magis conueniat. Ita igitur & de natura dici posse aliquis putauerit, descriptam primum, tum quot modis, & de quibus dicatur, explicatum. An quamquam hoc probabile admodum est, præter id tamen, quod ex quinto de prima philosophia allatum est, non omnino dici potest, quippe cum naturam de generatione primum eorum, quæ nascuntur, tũ de subiecto primo, deinde de motus principio, ac postremo de forma, ac cuiusque rei substantia tradidit dici. Itaq; non vt descriptio quædam naturæ poneretur, motus ac status principium esse, dicta est, vt significatio a cæteris diuersa. An vero dicendum de materia, & forma in Naturali Auscultatione eam dici tradidit, non omnes omnino modos, quibus dicitur eo in loco tradere incepisse. Sed cum quid esset, & de quo vere, ac proprie diceretur, de motus scilicet principio docuisset, atque ab alijs aliter sumeretur. Cæterorum de ea sententias, ac modos omnes, quibus illa dicitur, adijciendas existimauit, quod & verba eius consideranti, ita se habere fortassis videbitur. Nonnullis enim (inquit) videtur natura, & essentia, &c. Quasi diceret. Cum nos naturam definĩuerimus, naturam, motus, & status esse principium, ac eius rationem in hoc esse positam dixerimus, alij tamen sunt, quibus videatur subiectum primum naturam esse, &c. Dixerit etiam forte aliquis, quæ minus distincte de naturæ significationibus in naturali Auscultatione tradiderat, in prima philosophia, vbi vocabula, ac res multiplices ex proposito distinguebat, magis distinxisse. Quod quidem paret tum in eo, quod de forma illic docuit, tum in eo, quod de materia: Nam cum naturam multis illis modis dici statuisset, omnes tamen propter formam dici ait. Nam materiam naturam esse, quia formæ, quæ vere natura est, susceptrix sit, generationem, quia fit a natura, principium motus, quoniam forma,

ma, eiusmodi principium dicatur. Materiam autem primam in eam distinxit, quæ omnino est prima, & quæ prima illius, cuius est materia, vt liquabilium aqua. Et hæc quidem de re hac perobscura, ac perdifficili. Cum autem multis modis dicatur natura, quamquam materia & forma veræ sint naturæ, & verius forma, quam materia, vocabulum tamen naturæ, seu φύσεως generationis magis est proprium, & eius potissimum, quæ est rerum nascentium. At quemadmodum vox ipsa naturæ, seu φύσεως generationis magis propria est, ita notio, seu descriptio formæ. Hæc enim vere motus & status principium est. Quippe cuius agere, & mouere propriũ est, vt materiæ perpeti. Nec vero naturæ ratio formæ conuenit, quoniam sit finis, vt Simplicius tradit, sed quod moueat, motusque principium sit efficiens, vt in quinto de prima philosophia libro Aristoteles docuit. Nec naturæ ratio aut descriptio alijs modis, & significationibus congruit, vt idem Simplicius tradidit. Non enim quidem materiæ, quod ea patiatur tantum, nec agat, aut moueat, non item generationi, quæ effectus potius est naturæ descriptæ, quam ea ipsa natura. Rursus nec composito, si natura esse concedatur. Nam principium quidem motus illud esse potest, immo vero compositi operationes, & mouendi rationes propriæ sunt, sed non tamen in eo est, quod mouetur, cuiusmodi principium natura esse est tradita. Formæ igitur solius descriptio illa propria est, ideo & forma vere natura nuncupatur. Quæ etiam efficiens dici potest, & generans, non tamen eius, in quo est, sed rei sibi similis, vt postea docebimus. Sed quæret aliquis cum natura de forma maxime proprie dicatur, quæ forma etiam est finis, quomodo, & mouens, seu motus principium, siquidem in eam generatio desinit, cur non ex forma, seu finis, vt ex mouentis ratione descripta sit? Cur item generationem naturam dici, quia sit motus in naturam, cum in prima philosophia ideo dici tradiderit, quia sit a natura? Videtur autem Aristoteles ex eo naturam descripsisse, quo ab arte potissimum differt.

Eius

Eius enim proprietas,& vis præcipue cognoſcitur qua parte ab ea ars diſſidet,quippe cum ars eius ſit imitatrix,& cum altera ſit veluti natura, diſſimile tamen quiddam habet, ex qua naturam cognoſcimus. Differunt tamen hæ inter ſe mouentis ratione,non ex fine, aut forma. Nam vtraque & formæ & finis rationem habet. Vtraque mouentis principij, ſed tamen diuerſo modo. Natura enim in eo,in quo eſt, ars vero in alio,quemadmodum dictum eſt. Differunt etiam res naturales ab arte factis hoc motus principio. Quamobrem ex eo naturam deſcripſit,non ex formæ,aut finis ratione, tametſi & forma & finis natura ſit, vt quæ rei cuiuſque eſſentia ſit,ac naturæ generãti propoſita. Quod autem ad generationem,ab vtraque natura nomen accepit,ab ea ſcilicet,quæ generat,& ab ea,quæ generatur. Ab ea,quæ generat,quomodo medici ab arte medica,ab ea,quæ generatur,vt calefactio ex calore,in quem deſinit. Vnius igitur vno in loco meminit,alterius in altero,reliquo minime excluſo.

Naturam vt cæterorum motuum, ita & generationis efficientem cauſam eſſe,quamquam non eius rei, in qua primum ineſt, quemadmodum illorum.
Cap. VIII.

QVoniam autem ſatis de his diſſeruimus, & quid natura ſit, quæque in his, in quibus ineſt eius vis,& conditio,& quã late pateat, quonam in modo eius definitio ad eos, quibus illa dicitur modos, ac ſignificationes ſe habeat,abunde explicatum eſt, reliquum ẽſt, vt eius in procreandis rebus efficientiam & modum,quod nobis maxime propoſitum eſt,aperiamus. Nam fuerunt,qui eam negarint, nilque a natura generari cenſuerint, quique Ariſtotelem in hanc ipſam ſententiam traxerint, multis tamẽtſi eius dictis contrarium aperte teſtantibus. Primum qui caſu, ac temere, & materiæ quadam ne-

cessitate omnia existere putarunt. Natura enim si agit,& generat, nec casu,nec fortuito generat,vt in progressu docebitur. Quare in casum & fortunam omnium ortum referre, perinde est,atque naturam demoliri,& omnino eius efficientiam summouere. Alij deinde, qui nec casum,nec fortunam in rerum naturalium generatione posuerunt, non eam tamen gignere aliquid voluerunt, sed ab eo, quod generandi vim habet, potius gigni. Ac ex eo, quod gignitur,nec generationem naturæ vocabulo, vt Aristoteles monuit nominari, quippe quæ in naturam,quæ gignitur,desinat. Generantem autem causam, cum natura non sit, naturalem tamen dici, quod ex naturæ præscripto & ordine generet. Nec vero naturam esse posse, quoniam natura in eo sit, cuius est natura, quod ab ea non generatur. Simplicius autem cum multas naturæ significationes ab Aristotele traditas dixisset,nullam earum ipsi Aristoteli naturam esse voluit, sed aptitudinem tantum quandam,& potentiam passiuam, qua res naturales moueantur. Quod si sit,nulla erit Aristoteli naturæ efficientia, nullaque omnino in generandis rebus actio. Quæ omnia absunt a vero. Vim enim procreandi, eamque maximam natura habet, vt quicquid in hac rerum vniuersitate, quod naturale sit,gignitur,eius opus dicatur. Hinc illa Aristotelis, naturam nil frustra agere, alicuius gratia omnia facere,naturæ opera admiranda esse,& alia eius generis multa, eius efficientiam aperte testantia. Hinc illa Platonicorum, naturam omnium rationes continentem, omnia generare, omnibusque vitam impartire. Quæ omnia cum Aristotelis, tum illorum in libro de Dogmatibus fusius fuerunt explicata, ac Simplicij interpretationes in falsum sensum ea detorquentes refutatæ. Nec vero aliter dici potest, si cuiusque rei ratio,seu forma, atque essentia natura est. Nam vt materiæ perpeti proprium est, ita formæ agere,ac sibi simile procreare,ac procreatione propagari. Quod si compositi munus id esse quis dixerit,quomodo & compositum est, quod gignitur, non id quidem negatur,sed tamen formæ,quæ ve-

re natura est, id totum fit acceptum. Vnde stirpium & animalium procreatrix causa altrix anima est, hocque vnum est eius maxime proprium officium. Nec vero si gignitur natura non idcirco etiam gignit, immo quia gignitur, gignit. A sibi enim simili gignitur. Generatio autem, quæ natura dicitur, non minus ex natura progignente nomen id habet, quã ex ea, quæ gignitur, vt antea ex Aristotele docuimus. Nec illud obstat, quod tamen obstare plurimum videtur, quod natura primum & per se in eo insit, cuius motionum principiũ est & causa. Quod de generante dici non potest, quod in eo inest, quod ab eo generatur. Natura enim procreandi vim habet aliud simile ei, in quo inest, non illud ipsum, quod iam est. Nec enim eius, quod procreatur, natura est ea, quæ procreat, sed altera natura, a qua illa existit. Quod si Aristoteles in naturalium rerum quibus cientur motibus, per quos ab arte factis distinguuntur, nec omnino in naturæ descriptione, ortus non meminit, nec facultatis genitricis, nec aliam naturæ efficientiam tribuit, nisi motionum eius, in quo inest, non ideo tamen hanc, de qua loquimur, in generandis rebus efficientiam sustulit. Quin eius libri initio alia dixit natura constare, alia per alias causas. Quo in loco per alias causas, mentem, electionem, & eius generis alias efficientes cum intellexerit, naturam quoque vt efficientem posuerit, necesse est. Nullam vero huius procreandi facultatis in ea descriptione mentionem fecit, quod naturam describeret, earum tantum rerum habita ratione, quorum est natura. Quæ naturæ consideratio eius longe magis propria est, quam vt ea, quæ ab ea generantur respicit. Cum enim hominis, seu aliarum rerum naturam dicimus, ea intelligimus in quibus inest, non ea quæ generat, aut qua ex parte generat. Hanc ergo ob causam in ea describenda eorum tantum motuum principium eam dixit, quibus res cietur, cuius est natura, cum præsertim illis res naturales a non naturalibus differant, quamquam & vi procreandi inter se distinguantur. Cum ne hæc quidem in arte factis insit. Sed quamquam ita descripta

est,non efficitur tamen,quo minus generandi natura vim habeat. Illud tamen, in quo inest, generare non potest. Nec enim ortus sui vt incrementi cæterorumque motuum principium & causam res vlla naturalis intra se continet. Quod in stirpibus, & animalibus patet, in quorum nullo principiũ generans inest, verum in semine, aut eo, vnde semen defluxit. Qui vero fieri potest vt in eo,quod generatur, ortus sui principium insit. Siquidem principium id nullum aliud esse potest,quam forma,quæ cum res generatur, multoque minus antequam gignatur, nundum est. Est enim generationis finis,quo mox,atque comparatus est,perfecta res est,naturamque suam habet,vt iam vltra non generetur. Nam vero animalium generationis principium fętus anima est, quę in seminis generantis ex eius materia educta est? At huius partem nullam ortus,ac fætus principium esse in secundo de Animalium ortu Aristoteles tradidit,idque eo argumento, quod nil se gignat, cum antea non esset, in lucem se proferat. Sed aduersari fortassis id videtur, quod eodem in libro docuit,auctricem facultatem,qua stirpium & animalium accretionem anima efficit,vt calore, ac frigore quibusdam veluti instrumentis ea posterius auget, ita principio, quod gignitur constituere, idq; quod auget,& initio generat idem dici non minus debere, quam fœtus procreationis, & eiusdem accretionis eadem materia,quam vnam & eandem esse omnibus est notum. Verum dici potest, præclarè quidem generantis causæ cum materia comparationem factam. Sed vt materia e qua augescit,& e qua initio fœtus formatus est specie duntaxat eadem est, non item numero, ita & causam generantem, quæ fetum primo conformauit, aut verius genuit, & quæ posterius auget,specie solum eandem esse, nec vnum quid numero vtrumque efficere. Atque si in fœtus conformatione ea, quæ auget, vim aliquam & efficientiam obtinet,non tamen in prima & veluti inchoata. Hæc enim vi seminis a mare decisi initio existit, a quo & fœtus anima de materiæ potentia educta est,quæ perfectam deinde & ab-

solutam efficit conformationem, atque accretionem. Atq; hoc cum ipse Hippocrates, tũ Aristot. videntur sensisse. Prima igitur conformatio a procreante efficitur, a quo & anima ex fętus materiæ potentia educitur. Hoc vero in materia illa rude adhuc, & veluti inchoata insidens eam perficit, & ad constitutam a natura magnitudinem ducit. Nec vero hæc momento fiunt, sed virtus quædam primum, seu facultas a causa generante in materiam seritur, quæ mox, vbi sata est, & in materiam recepta, effectum alium efficit, tum ille alium, atque ita subinde, donec perfecta forma & anima ex materia illa educatur. Cuius principium profecto id fuit, quod materiæ primum mandatum est, quod Auicenna virtutem rebus inditam simile ex simili procreantem videtur vocasse. Nam hæc virtus, seu facultas ipsa, per se in rebus nõ est, sed a causa exteriori generante demandatur. Sed de hoc in lib. de Animalium ortu agendum est. Nunc vero quoquo attigisse satis sit, vt primum generandi principium efficiens in eo, quod gignitur, non esse intelligatur. Quamobrem qui in semine animam actu statuunt, illudque ipsum non minus ex fœmina, quam ex mare decidi, fœtuique materiam suppeditare, atque eam, quæ in eo est animam corpus sibi, ac domicilium parare. In eo enim, quod gignitur, vim generantem ponunt, quamquam si anima illic est, & materia, genitum iam est, vt non vlteriori generatione sit opus. Eritque fœtus & animal mox, atque semen effluxit, immo vero antequam effluat, ita in vno, & eodem plures animæ, cum plura animalia simul generẽtur, vt in suibus, & eius generis alijs, quorum partus est multiplex. Sed de hac ridicula & commentitia opinione antea dictum est, cum de forma ageretur. Porro ei, quod hactenus constitutum est, principium generans in eo, quod gignitur, non inesse, illud aduersari plurimum videtur. Quod nisi insit, id quod inter naturam & artem ab Aristotele discrimen positum est, tolletur. Perinde enim, atque ars in alio principium natura erit, non in eo, quod gignitur. Præterea, quod magis etiam vrget, in secun

di

di eius libri de naturali Auscultatione, in quo de natura disserit, progressu, cum naturam alicuius gratia, nec temere, agere rationibus docet, naturam in eo esse, quod fit, tanquã euidens assumit. Si enim (inquit) exstruendarum nauium ars in ligno esset, eodem plane ageret modo, quo & natura. Perspicuum autem maxime hoc fit, cum quispiam sibi videtur. Huic nunquam natura similis est. In quibus verbis naturam (vt patet) in eo, quod fit, inesse statuit. Alioqui ars nauium factiua, etsi in ligno esset, non tamen propterea eodem ageret modo, quo & natura. Si autem in eo sit, eodem agere (ait) modo, quoniam alia re non differunt, cum neutra earum deliberet. Si igitur natura, & ars hoc inter se differunt, quod illa in alio, hæc in eo, cuius est, & quod fit efficiendi causa sit, ac principium, natura profecto non minus generationis eius, in quo est, quam aliorum motuum principium ponitur. Sed dici potest, naturæ & artis in eo tantum positum discrimen, quod ars in alio, natura in eo, quod mutatur, ine?t, & vtraque sane vt efficiens & mouens, quodcunque tandem motus, seu mutationis genus fuerit, quod ab hac, aut illa efficiatur. Quoniam autem ab arte effectio maxime proficiscitur, & illa quidem in aliena materia, a natura vero reliquæ omnes motiones in eo, in quo inest, quamquã & hæc procreandi in alio principium sit, magna inter hanc, & illam adhuc (vt patet) remanet differentia. Quis autem ambigat eorum tantum motuum, quibus res subiectæ cieri ab eis possunt, vtramque hanc virtutem principium esse ab Aristotele statui. At generare id non potest, quod iam est, quodque iam natura constat, propriamque habet naturam. Vnumquodq; enim tum solum est, cum propriam naturam nactum est, nilque aliud cuiusque rei naturam esse in Politicis Aristoteles censet, quam id, quod quidque est generatione perfecta. Aliarum itaque motionum, quæ rei iam genitæ possunt inesse, rei eius natura principium ponitur. Vnde & ea, quæ natura constant cum ab alijs differre, quod motus principium intra se habeant, reliqua non habeant, Aristoteles

les docuit,cæteros omnes commemorauit, ortus nulla facta mentione. Nec enim & alterationis alia,accretionis alia,alia lationis,ita & ortus aliqua principium in se habere enunciauit. Dici vero & potest naturæ quoddā initium in eo,quod fit, inesse,quod quidem,vt antea dictum est, a generante exterius natura in materia veluti factum est, ac in eam agit, aliud ex alio subinde efficiendo, donec simile quid omnino procreanti causæ euaserit,perinde,atque si statuarius in ære, ac marmore inesset, & in illud ageret, donec perfecta esset statua reddita.

Naturam in rebus gignendis solertem & prouidam esse, easque ordinate,& quam optimas potest generare.
Cap. I X.

NAturam gignendi facultate præditam esse, nec id tamen,in quo inest,quodque diuersis ciet motionibus generare ostensum est, nunc quemadmodum gignat videndum. Gignit autem quæcunque gignit non temere aut fortuito,nulliusque gratia,non item perturbate,aut nullo ordine,nullaque solertia, aut industria adhibita. Sed solers & prouida,ratione,& certa via res gignēdas aggreditur, & quendam semper generationis, cæterarūque motionum sibi proponere scopum videtur. Ac cum quidem, non quemuis, sed in eo, in quo agit genere, quem maxime fieri potest, optimum. Nec propositum finem,aut negligit,aut raro assequitur, sed operi sedulo intenta, prius non desinit,quam inchoatum opus ad perfectionem fineq; eum perducat. Ita vero ratione, & via in procreando ingreditur, vt quod in operibus artium nostrarum manu effici videmus,id multo artificiosius a natura efficiatur. Cuius enim vel clarissimi opificis artificium tantum in operibus suis esse possit,quantum in stirpium, animaliumque conformatione conspicitur? Quis præter naturam (Deum semper,cuius illa mini-

ministra est,excipio) opifex solers adeo esse possit, in harum ipsarum rerum partibus constituendis. Nec in principibus solum,& principum animalium,sed infernis etiam & vilissimorum quorumque. In omnibus enim ita omnia apte ab ea generantur,vt nil ex his, quæ necessaria sunt, desit, nihil superuacaneum, nihil quod vsum suum non habeat, cernatur. Quid,nil in excrementis ipsis, in quibus nulla videri possit inesse vtilitas, liquido perspicitur. Illis namque ad animalium,aut salutem,aut decorem natura vtitur, veluti pilis, qui cum excrementa sint quædam, & ab excrementis originem ducant,magno animalibus ipsis aut vsui sunt, aut ornamento. Vsui quidem in cæteris omnibus, quo eorum corpora tegantur, & a temporum iniuria defendant hominis autem decori & ornamento, vt qui in mento sunt pili. Sed in animalium partibus gignendis tanta naturæ solertia, ac prouidentia spectatur, vt Zeno a vero prorsus non aberrare videatur,cum non artificiosam solum esse docuit naturam, sed plane artificem cōsultricem,& prouidam vtilitatum omnium,quæ nil (vt dictum est) frustra efficiat,nil necessarium prætermittat. Quo argumento Aristoteles vsus quamplurima alia cum rerum gignendarum vim & principium absque instrumentis, quibus gigni possunt,nec absque vi generandi hæc ipsa rei vlli tribui monstrauit. Ita alluum & vesicam excrementorum loca, vna cum vi illorum excrementa excernendi ait fabricari. Ita sydera motione recta,quæ in partem sit anteriorem nunquam moueri, nec illius vim efficientem in eis inesse, quod instrumentis ad eam aptis destituantur. Quæ profecto eis natura fuisset datura, si vim eius motus efficientem esset impartita. Instrumenta enim facultatibus, actionibusque earum,non contra, accommodat. Sed in eo quoque naturæ solertia, ac diligentia perspici potest, quod in animalium generatione carnem,& sensoriorum omnium corpora,quæ principem in animalis partibus locum habent ex materia synceriori conficit, ex crassiori autem & excrementitia, neruos,ossa,pilos, vngulas, & eiusdem generis reliqua,

liqua,minus nobilia. Qua in re prudentem quoque patrem familias imitatur,qui nihil omnino solet reijcere, ex quo facere commode aliquid possit. Itaq; liberis cibum optimum procurat, deteriorem seruis, vilissimum socijs animalibus. Quare in animalis iam geniti altione paterfamilias id facit, in eius natura efficete cernitur. Quamquam & in animalibus genitis maxima naturæ prouidentia cernatur, in ea videlicet summa cura, quam liberorum suorum bruta habere cernuntur. Quid vero quod nihil perturbate, & inordinate natura facit,sed summo ordine omnia? Quod Aristoteles octauo Physicorum tradidit, rerum natura constantium nullam esse inordinatam, omnisque ordinationis naturam causam esse. Quod si inordinatio aliqua contingit, ea certe raro contingit,& casu quodam. Ordo autem hic naturæ admirandus spectatur tum in vniuersi principibus partibus, tum in animalibus ipsis,eorumque procreatione. In vniuerso principes partes ordine sunt positæ, vt quæ nobiliores sunt,& formæ rationem habentes, superiorem locum acceperint,reliquæ gradatim inferiorem, quo ad terram omniũ infimam peruentum est. Naturam etiam cœlestia corpora ad æqualitatem redigere & ordinem quendam fecere Aristoteles secundo de Cœlo tradidit, cum vni lationi multa corpora,& vni corpori multas tribuit lationes. Nam admirandum videri possit, tot sydera ingentissima in sphæra extima simplici vno corpore gestari, singulisque errantibus ad eorum motus faciendos plures sphæras attributas. Qua in re iustam se ostendit natura, quod attributum ei medicorũ pater Hippocrates tribuit. Sed in corporum procreatione ordo hic cernitur,quod non statim ab inanimatis ad animalia transit natura,sed per ea, quæ viuunt quidem,verum animalia non sunt,veluti stirpes,quare & a stirpibus medio quodam ad animalia progreditur, quod medium vtriusque naturæ particeps est ob eam causam appellatum, quod continuatione ipsa latere ait Aristoteles 8. de Animaliũ historia ad vnum extremum pertineat. Itaque in aliquibus dubium

est,

eſt,animalia ne ſint, an radices,radices,an lapides, vt de ſpō gia, teſtaceis, corallio, & huius generis alijs cernitur. Quis vero non in eo etiam ſummam naturæ prouidentiam, ac ordinem miretur? quod hæc,quæ generat ordine hæc animata,mox vbi genita ſunt paulatim, ſenſimq; ad perfectionem ſuam ordine perpetuo & conſtanti perducit. Quod de horū ipſorum animalium, ac hominis potiſſimum ægritudinum periculis determinatis,diebuſque certis,ac ſtatis, quibus criſes natura facere ſolita eſt, vt ne vel minimum quidem ab ei receedat, dicendum. Nam quæ præter rationem incedūt aliquando,ordinemq; confundunt, tum ei obueniunt, cum non plane materiam vincunt, ſed impeditur ab ea, prohibeturque ſuis proportionibus moueri. Nam cum materiam natura ſuperat, proportionibus quibuſdam definitis, ac periodis ordinatis mouetur,quod ex Hippocratis ſententia in ſecundo de diebus Criticis a Galeno recte eſt explicatum. Illud vero prætereain natura quoque admirandum, quod ex his, quæ fieri poſſunt, facere perpetuo quod melius eſt, ac præſtantius ſoleat, & ex quam pauciſſimis poteſt. Melius autem cuique generi. Ita cum melius eſſet,eſſe,quam non eſſe, ac ſempiternum,quam caducum,rerum ſempiternitati,quomodo fieri melius potuit,prouidit,generatione rebus caducis tributa. Ac quamquam in natura quædam ſunt, quę aut non fieri præſtitiſſe, cuiuſmodi venena, animalia quædam mortifera, aut fieri quidem, ſed tamen meliora potuiſſe videantur,vt hominem longiori vitæ,hæc tamen omnia,ita vt facta ſunt, ad vniuerſi præſtantiam, ac perfectionem, quam maxime propoſitam habet natura,facere eſt exiſtimandum, quæ niſi facerent, nullo modo fuiſſent procreata.

Natu-

Naturam nihil casu, & fortuito procreare.
Cap. X.

ADmirandum itaque est, hanc tam solertem, & prouidam, constantemque rerum procreationem: in temeritatem & casum a non nullis relatam. Nam quæ casu fiunt, nec semper, nec plerumque, nec ordine aliquo fieri consueuerunt, sed raro & perturbate. Res autem naturæ, aut semper, aut plerumque, aut si raro, ordinate tamen, vt diximus. Quod in octauo Naturalis Auscultationis Aristoteles indicauit, cum præter cætera de naturæ ordine allata, res natura constantes, aut simpliciter, & non hoc quidem modo, interdum alio alias habere, aut si non simpliciter certe rationem, hoc est ordinem quendam obtinere, docuit, ac Empedoclem propterea cõmendauit, quod mundum non eodem semper modo esse, sed aliàs gigni, aliàs interire cum posuisset, ordinem quendam in illa mutatione inesse existimauit: quamquam eo nomine reprehendẽdum illum iudicauerit, quod illius mutationis, & ordinis, quem in ea ponebat, causam nullam reddidisset. Sed naturam nihil casu, aut fortuito agere, inde potest dignosci, quod cum quædam necessario fiant, vt in animalibus cor, vel illi proportione respondens, sine quibus nullo modo esse animal potest, quædam melioris notæ gratia, vt Aristoteles de testibus scribit, ea, quæ casu fiunt, neutro horum generum comprehenduntur, nec enim vlla omnino eorum est in rebus naturæ necessitas, nec ad aliquod omnino bonum, cuius gratia fiant, referuntur. Atqui & naturam ars imitatur nonnullaque perficit, quæ natura non potest, si ergo fortuito aut casu nihil ars efficit, sed ad aliquem finem omnia refert, multo certe probabilius est, naturam, cuius illa est æmula, nihil casu procreare, sed quicquid procreat, propositum

ha-

habere, atque procreationem ad illud referri. Vnde si res, quæ arte fiunt, natura efficerentur, non aliter sane fierent, quam manus ab arte. Fine igitur proposito, nec temere, aut casu. Quæ item natura procreantur principium aliquod ab ea accipiunt, a quo in eis insito continenter mouentur, quo ad finem attingant, ipsi naturæ propositum, qui est perfecta rei illius natura. Quod cum in omnibus, quæ natura gignuntur (nisi quid impediat) cernatur, temeritati, aut casui ascribi profecto non debent. Perspicuum præterea est, bestias natura duci, idque, quod agunt, naturaliter, non ex consilio, agere; Eæ igitur finem propositum in actionibus habent, ad quem actiones omnes ratione quadam admiranda referunt, vt quosdam inquiat Aristoteles dubitasse, vtrum mente agerent, an alio quodam principio. Atque si consilio quodam, aut ratione eas duci quispiam putet, quãquam id falsum videtur, cum eadem eodemque modo semper agant, is stirpes inspiciat, nec mentis, aut rationis vllius participes, quarum natura finem propositum in actionibus habere, & ad illum omnia referre, nec temere agere, id indicat, quod frondes tegendis fructibus procreet, item radices intra terram, non supra eam expansas, quo alimentum possint attrahere. His igitur & alijs huius generis compluribus intelligi potest naturam casu, aut temere non agere, sed finem aliquem sibi semper proponere, & ad eum procreationem, actionemque omnem referre.

* * *

Quemad-

Quemadmodum casu, & inordinate natura agere interdum videatur, cum tamen non agat. *Cap. XI.*

SEd sunt nonnulla, quæ fortuito, ac casu, atque etiam inordinate a natura fieri videntur. Ac primum quidem monstra, quæ cum nullum habeant vsum, naturæ esse proposita nemo recte affirmauerit. Cur enim fœtus bicipitis statim morituri procreationem sibi natura proponeret? Deinde ea, quæ in sublimi fiunt, pluuia, grando, nix, & faces ignitæ, aliaque eius generis, in quibus inconstantiam magnam, ac varietatem, ac nullum prope modum finem, vt Aristoteles quoque consensit, spectamus. Quin & tritici, ac aliarum, quæ seruntur, vi pluuiæ cadentis putredo, & rerum eis similium procreatio, casui cuidam tribuenda videtur. Sed quod ad monstra attinet, dicendum est, naturæ illa quidem proposita non esse, nec in eam, vt efficientem causam nisi ex accidenti esse referenda. Duobus autem modis procreantur, aut vi externa aliqua, quæ naturæ actionem impedierit, occursante, aut ex materia, quæ fœtui perfecto & naturali procreando, & ipsius naturæ actioni accipiendæ inepta est, idque dupliciter, aut quod valentiori, quam natura sit agens, virtute sit prædita, aut quod maior minorve eius sit moles, quam rei, quæ ad gignendum proposita est sit satis. Hinc non quemuis sanguinem menstruum maris genitura immutat, aut quouis tempore fœtum ex ea progignit. Qui autem procreantur fœtus non omnes ijs, quæ a natura constitutæ sunt, partibus, sed maioribus interdum, aut pluribus, interdum minoribus, aut paucioribus gignuntur. Quorum etiam aliqui aut alimenti inopia, aut extrinseci alicuius occursu, antequam perfectionem nacti sint, in lucem eduntur. His igitur modis naturam sine proposito impediri contingit, quod cum fit, casu eam & fortuito agere videtur, siquidem illa, quæ in lucem eduntur, ei proposita

non sint, sed casu illa non agit, vt quæ finem aliquem sibi proposuerit, casu autem illa fiunt, ob eas, quæ dictæ sunt, causas. Itaque in operibus naturæ casus, ac temeritas inest, sed non qua ex parte eius sunt opera, verum materiæ, aut virtutis exterioris naturæ actionem impedientis ratione. Quomodo & ars, seu artifex alicuius gratia agit, tametsi interdũ propositum finem nõ assequatur, veluti medicus sanitatem habet propositam, & eius gratia ægrotum purgat, cum tamẽ nec recte eum purgari, nec sanitatem consequi contingat. Itaque vt medicus casu potionem dedisse non dicitur, etsi a scopo aberrat, ita nec natura, cum monstra procreantur. Monstrorum igitur Empedocles partuum ortus quamquam concedatur, non tollit, quominus natura alicuius gratia semper agat, finemque propositum habeat. Non enim eos casu, ac temere natura genuit, si geniti fuerunt, sed cum hominẽ, aut bouem procreare instituisset, principio aliquo labefacta to, seu materia, seu etiam natura impedita, ortus eiusmodi ad perfectionem duci non potuit, eorumque vice, monstra illa in lucem sunt edita. Sed edi illa non potuisse in naturali Auscultatione Aristoteles demonstrat. Quæ autem de rebus in sublimi genitis obiecta sunt, illa quidem potius temere, ac fortuito videntur a natura procreari. Quoniam tamen proxima eorum causa cœlum est, quod ordine constantissimo, ad rerum sublunarium ortus faciendos perpetuo cietur, non efficienti illorum causæ, sed materiæ, e qua fiunt, inconstantia eorum omnis & varietas, atque temeritas est adscribenda, vt necessario potius fieri, idque materiæ necessitate, quam ob aliquem finem dici possunt. Materia enim, e qua fiunt, actioni cœli subiecta est, ideoque illo alias ob causas agitato, necessario procreantur. Ea autem cum iisdem annorum temporibus non eadem semper sit, nec eodem affecta modo, nunc copiosior, nunc parcior, modo calidior, & rarior, modo frigidior & densior, aliter & aliter agentis causæ efficientiam accipit. Vnde effectuum illorum magna varietas prodit. Nec vero putandum est figurarum varietatem, veluti.

veluti trabes, capiat,& eius generis alia, quæ aut in nubibus, aut in superiori aeris parte spectantur, aliter quam casu quo dam excitari, seu ob diuersam materiæ affectionem, seu etiã ob ea, quæ extrinsecus accidunt, vt ventus, calor, frigus, lumen,& reliqua huius generis. Ab operibus igitur naturæ casum,ac temeritatem omnem non reijcimus, sed naturam ipsam casu, aut temere aliquid moliri, ac gignere negamus. Quamquam in his, quæ molitur, præter ea, quæ proposuit, aliqua eueniant. Sunt vero & aliqua, quæ cum nullum finẽ, aut vsum per se habeant, naturæ quidem per se, & primo proposita non sunt, sed tamen res ei propositas necessario consequuntur. Cuius generis sunt, animantium excrementa, aluui præsertim & vesicæ, quæ alicuius gratia effici, & naturæ proposita esse, quamquam nemo statuit, necessaria tamen omnes concedunt,& alimentum, seu nutricationem necessario consequuntur. Quocirca vt rem breuiter concludamus, statui id potest, quod in tertio de Anima Aristoteles tradidit, quæ natura constant, ac gignuntur, alicuius rei gratia constare, aut certe eorum esse casus, quæ ob aliquem finem efficiuntur.

Quomodo natura alicuius gratia agat, summoque ordine, cum mentis, ac rationis sit expers. Cap. XII.

AT vero & aliud quoque est, quod magnam in se difficultatem habet, ac his, quæ de fine ipsi naturæ proposito adeoq; miranda eius & artificiosa agendi ratione definiuimus, aduersatur. Atque id quidem est ipsius naturæ inscitia,& rationis, consilij, atque deliberationis vacuitas, quandoquidem naturam vim quãdam esse ratione carentem, nec consilio, aut deliberatione vtentem, quæ in corporibus motus necessario cieat, cum Aristotele putamus. Quod si ita habet, nec finem aliquem præsertim optimum sibi proponere, nec media, quæ ad illum perducant,

ducant,persequi, & in opus educere maximo potissimum ar tificio,atque ordine, qui ei tribuitur, poterit. Vnde in eam sententiam aliquos ductos Aristoteles tradit, vt finem nullum in agendo sibi naturam proponere, nec rei alicuius gratia agere, sed sola materiæ necessitate omnia, quæ natura constant, fieri arbitrarentur. Quin & frustra agere dicetur. Nam quod non frustra agat, ideo non est, sapiens vt sit, sapiens autem frustra non agit, & fine ad agendum mouetur. Quod autem frustra est,perinde est,ac si non esset, ita vt mouendi vim proprie non habeat. Sed hanc difficultatem Aristoteles partim sustulit, necessarium esse negans; si quid gratia alicuius agat,id consilio, ac deliberatione in agendo vti. Nam & artem alicuius rei gratia agere,non fortuito & casu, quæ tamen ars deliberatione nulla, aut consilio in agendo vtatur,quod eo argumento confirmauit: quia si in ligno exstruendarum nauium ars esset, eadem ratione, & via ad naues fabricandas ingrederetur, qua nũc in operibus suis procreandis natura ingreditur. Vt igitur natura non deliberat, ne illam quidem deliberare, & vt ars quamquam non deliberet, agit tamen alicuius gratia, sic naturam præter consilium & deliberationem finem sibi proponere. Non enim artem & naturam inter se differre, quod illa deliberatione & consilio agat,finemque aliquem sibi proponat,hęc minime. Sed quod ars extra id sit, quod facit, natura, intra. Sed ne exemplum ex arte nauium exstruendarum ad naturæ vim exprimendam accommodatum non videretur,quia extra lignum sit posita, accommodatius petijt ex medico, qui si ægrotet, medendi facultate,quam in se habet,sibi ipsi medetur. In hoc enim naturæ effigiem, ac similitudinem ait conspici,quandoquidem ars illa in eo,vt natura quædam,insit, quamquam ex accidenti, quatenus est æger. Ita igitur Aristoteles difficultatem tollere conatur. Sed maiorem videtur nobis obiecisse, de arte videlicet, quam consultare negat,ac deliberare, cum tamen nulla ars fere sit, quæ fine sibi proposito,non consulat, quibus is medijs attingatur. Nãq;
& me-

& medicus inquirit quid ægroto magis expediat, venæ sectio, an purgatio, & si purgatio, quo purgationis genere vtendum, quo tempore, qua hora, quatenus oporteat purgare, & militiæ præfectus, consilio ac prudentia decernit, vtrum celeritate, an cunctatione agendum, vtrum certandum an in castris suis absque pugna consistendum, & huius generis alia, quæ nisi ingenio, ac consilio cognouerit, sæpe eum periclitari necesse sit. Quin & artem habitum esse ratione efficientem in his, quæ aliter se habent Aristoteles definiuit, vt ratione illam vti, eius sententia, intelligatur. Ac quamquam artem nec consulere, nec deliberare concedatur, mente tamen, ac ratione quoniam vtitur, minus efficax Aristotelis responsio videbitur. Cum enim mente, ac ratione vtatur alicuius gratia agere potest, quod natura, quia mentis, & rationis expers est, non poterit. Exemplum itaque ex arte sumptum, non efficere videtur, vt alicuius gratia natura agat, finemq; aliquem actionum suarum sibi proponat. Ad has difficultates, quę ex Aristotelis responsione nobis obiectæ sunt, tollendas, illud in primis cõmonefacimus, quod in commentarijs etiam nostris tradidimus, Aristotelis hoc de artibus non consultantibus, dogma de exquisitis accipiendum esse, certo pręceptorum numero constantibus Cuiusmodi est Grammatica, cuius sunt certa scribendi præcepta, a quibus Grammaticus non discedit, nec quemadmodum scripturus sit secum deliberet. Quæ autem in conectura sunt posita, consilio vtuntur, & deliberatione, cuiusmodi est medica, & nautica, quæ tamen nec de generalibus præceptis consultant, vt medica de eo, contraria contrarijs curanda esse, sed de particularibus, & proprijs, quæ illis continentur. Hæc Aristotelis & in tertio Ethicorum ad Nicomachum sententia. In exquisitis enim (ait) & sufficientibus scientijs consilium non est, vt in litteris scribendis nulla nobis quemadmodum scribendum sit dubitatio occurrit. In ijs vero quæ nostra opera effici solent, nec semper eodem modo eueniunt consultamus, vt de rebus ad medicinam spectantibus, de pecuniarijs,

de naualibus magis, quam de gymnasticis, quo scilicet minus illarum ratio certa est, & de reliquis similiter, magis autem & in artibus, quam in scientijs, siquidem in his magis dubitamus. Sic patet quemadmodum in artem consilium cadere partim neget Aristoteles, partim concedat. Atque hoc quidem satis est, ad eius responsionis efficacitatem. Sed sunt, qui Platonis authoritate ducti, nullam artem esse putent, quæ consilio aliquo non utatur, nullam etenim esse, cuius subiectum vsque adeo certum sit, vt nihil in ea anceps, ac dubium habeatur, nec Aristotelem hac re a Platone dissentire, sed quod ab eo dictum est, artem consilio non vti, ita intelligendum, quasi minus vti consilio dixisset, minus enim in consilium ea cadere, quæ siue natura sua, siue vsu certiora habeantur. At hoc Aristotelis verbis vim inferre est, cum potissimum alibi aperiat quas nam in artes consilium cadat, & in quas non cadat. Atque si ars omnis consilio aliquo vtatur, cum naturæ nullum sit consilium, nulla deliberatio, accommodata earum similitudo non erit, nec quia ars alicuius gratia agat, naturam quoque ita agere colligi poterit. Ita quod vult Aristoteles haudquaquam obtinebit. Non omnem igitur consilio, ac deliberatione artem agere (vt Bessarion censet) Aristoteles voluit. Quæ autem Trapezuntius de hac scripsit, ab ipso Bessarione recte reprehensa sunt. Ait enim Aristotelem cum naturam ostendere vellet non consultare, quamuis alicuius gratia agat, ne cui forte indocto mirum videretur, alicuius causa id agere, quod non consultat, accepisse artem non consultare, non tamen id simpliciter accepisse, quippe, qui nouerat eam consultare, rem videlicet etiam cæco manifestam, ex hypothesi autem accepisse, quod si in ligno videlicet esset, non consultaret, ex quo sequatur, cum in ligno non sit, consultare. Sed hæc inania videntur, & recte (vt diximus) a Bessarione refutata. Si enim nouerat Aristoteles artem consultare, cur non consultare sumit, vt inde monstret, alicuius gratia agere naturam? Nec sumpsit si in ligno inesset, non consultaret, sed eodem

dem plane modo eam acturam, quo naturam agere videmus. Quasi diceret, hoc tantum discrimen inter eas esse, quod ars extra sit, natura intra. Consentire autem quod neutra deliberat, & vtraque tamen alicuius gratia agit. Sed de his Bessarion copiosè disseruit, quæ quoniam ad institutum nostrum non magnopere pertinent, siquidem nunc artis efficientiam explicare non instituimus, nisi quatenus ad Aristotelis rationem explanandam pertineret, prætermittentur. Illud vero doceamus, quemadmodum ratio illa, seu verius responsio firmitatem habeat, cum ars etsi non consulit, neque deliberat, mente tamen vtatur, siquidem habitus est vera ratione (vt diximus) efficiens, natura vero mentis, & intelligentiæ expers, nulla vtens ratione, vt magnum adhuc inter artem, & naturam discrimen maneat, quo fieri possit, vt alicuius gratia ars agat, natura non agat. Dicendũ itaque responsionis eius efficaciatem in eo esse positam, quod illi, quorum sententiam arguebat, nihil alicuius gratia agere censerent, quod consilij, & deliberationis particeps non esset. Mentisque & rationis mentionem nullam facerent. Quod si id sumpsissent, nihil alicuius gratia agere ratione, & mente non præditum, simile ex arte, quæ ratione vtitur, sumptum, eorum rationem non sustulisset. Sed quãquam eorum ratio sublata est, difficultas tamen ipsa per se remanet, quonam modo, quod rationis & sensus expers est, qualis est natura, finem sibi cuius gratia agat, possit proponere, actionesque omnes ad eum dirigere. An vero dici id potest naturalium agentium, quæ naturaliter agunt, hanc esse conditionem, vt quamquam finis gratia agant, hocque nomine cum ex consilio & mente agentibus conueniant, finem tamen suum non vt illa cognitum habeant, sed naturali quodam impetu ad eum ferantur. Ita appetitionis duplex genus ponitur, vnum quod cognitionem consequitur, alterum naturale, nulli cognitioni adiunctum. Quo genere appetendi materia formam, vt fœmina marem, turpe pulchrũ appetere dicitur, nec alio grauia inferum locum, leuia supe-

rum. Vt igitur finis,ac perfectionis appetitio absque cognitione esse potest, impetus videlicet ille, ac propensio naturalis, ita eius finis gratia aliquid moliri, quamquam agnitus agenti non sit, impedire nihil videtur. Poterit igitur natura ex sibi insita propensione ob finem aliquem sibi non cognitum agere, atque ad eum actiones omnes suas, atque opera referre. Sed illud quoque dici potest, naturam rationis quidem expertem esse, ac finem, ob quem agit,ignorare, sed a vi superiori, hoc est, mente suprema, quæ vniuerso insidet, resque omnes moderatur pendere, ac regi, mentemque illam ab omni æternitate singulis naturis fines constituisse, quorum gratia acquirent quicquid moliuntur. Itaque eas motus suos, quibus ad fines constitutos proficiscuntur, ciere, ab ipsa mente, quæ cœlum perpetuo conuertit,agitatas. Quæ si ab illa vt principe & summa causa non mouerentur, nullius omnino motionis principium essent,& causa. Atque hæc quidem aliàs, cum de Dei in rebus naturæ procreandis efficientia agetur, paulo latius explicabitur. Nam Aristotelicum fortasse videri non possit, cũ illæ naturarum singularum cognitionem menti supremæ negare videatur. Atq; hæc quidem satis de Naturæ efficiẽtia.

Naturam vt diuinam esse Aristotelis negauerit, dæmoniamque vocauerit. Cap. XIII.

CVm autem hæc ita se habeant,admirandum nemini videri debet,naturam diuinam esse in libro de Diuinatione per somnium Aristotelem negasse. Quamquam illud non satis intelligi videtur,quod cum diuinam negasset,dæmoniam vocauit. Porro diuinam recte, ac ratione negatam eo dici potest, quod nec rationis nec intelligentiæ particeps sit,quæ vna in his caducis diuinitatis particeps,videtur, diuinique nuncupatione digna. Nullam namque aliam animæ facultatem præter mentem diuinam

nam Aristoteles appellat. Ea enim cæteris mentibus diuinis affinitate iuncta est, ac eandem fere cum illis obtinet naturam. Diuina item ea proprie nuncupantur, quæ externa sunt, nec interitum vllum pariuntur, vtpote ad Dei æternitatem ptopius accedentia. Natura autem eorum proprie est, quæ oriuntur, & intereunt, quorum nasci, vnde ipsa ducta est, proprium est. Ita cœlestia corpora diuina nuncupantur, nempe sempiterna, & omnis mutationis expertia. Quæ naturalia eo duntaxat nomine sunt, quod moueantur, motusque principium intra se habeant, quamquam modo a cæteris naturalibus diuerso. Quatenus autem natura proprie dicitur, ac ad nascentia attinet, in natutalibus minime numerantur. De qua re antea dictum est. Natura igitur diuina non est, tametsi Dei veluti ministra, quę in rebus generandis vltimum efficientiæ locum accepit, a Deo ipso ad res generandas directa. Hinc somnia, quæ naturaliter homini contingunt, vtpote ei nonnunquam cum brutis communia, diuina non esse, nec a Deo mitti in libro de Diuinatione per somnum, id quod nunc explicatur traditum est Atistoteles docuit. Sed cum hæc, quam attulimus, causa idonea esse possit, cur diuinam naturam esse Aristoteles negauit, videndum, quomodo eam dæmoniam esse, quomodo & somnia, de quibus agebat, voluerit. Nam hoc dubitationem magnā in se habet, cum dæmonas nullos Aristoteles statuerit, quorum essentiam & conditionem natura participans, ita sit vocata. Interpres Græcus, quod rei huius causam forte ignoraret, locum hunc absque vlla explanatione præteriuit. Leonicus tres causas attulit, vel quia Deorum instrumentum, & veluti ministra quædam, quæ dæmonum conditio est, natura sit, vel quia quod proxime aliquibus videtur præesse, quomodo naturalibus tebus natura, dæmonem philosophi vocauere. Vel quia id, quod similitudine quadam ad dæmonum genus, mitabiliores quasdam & supra hominem actiones ederet, eo nomine sit nuncupatum. Naturam enim ab Academia definitam, essentiam quandam corporis expertem,

pertem, a corporibus tamen non separatam, quæ illorum rationes contineat vniuersas, opificiamque in se habeat potestatem, quæ inter præcipuas dæmonum generi adscribitur. An vero fortassis dicendum in mundo hoc sublunari dæmonas a veteribus positos; ad rerum generationem, vt efficientes causas a Platone inuectos, a primo videlicet opifice ad id muneris demandaros. Cumque natura harum rerum (vt ante diximus) proprie sit, dæmoniam hanc ob causam nominatam, quasi dæmonibus subditam, & in his positam, in quibus dæmonum opificum potestas spectatur. Vnde & Aristotelem, quod res has naturæ accurate, & copiosè tractauerat, dæmonium veteres dicebant, cum Platonem, quia ad diuinarum rerum explicationem maxime se dedisset, diuinum nuncuparent. Quamquam igitur dæmonas nullos Aristoteles induxisset, hanc tamen in appellatione communium aliorum sententiam secutum dicemus. Atque hoc consentaneum est his, quæ tum de somnijs dicebat, nempe dæmonia esse non diuina, aut a Deo missa. Dæmonia inquam, id est, naturalia; & ex his pendentia, quæ dæmonum opificio subiecta sunt, id est, ex rebus naturalibus, non adeo proficiscentia. Talem enim & naturam esse. Sed mirabitur quis duo hæc, diuinum, & dæmonium, eo in loco distincta, vnumque videlicet diuinum somnijs & naturæ negatū, alterum tributum, cum tamen secundo naturalis Auscultationis, cum de fortuna loquitur, ea coniunxerit. Sunt (inquit) nonnulli, quibus fortuna causa quædam esse videtur, sed menti humanæ occulta, Deum & dæmonia appellant. An vero idem duo hæc interdum significant, vt dæmonium idem sit, quod diuinum, in qua significatione & Demostenes, & alij vsurpare illud consueuerunt, interdum idem, quod admirandum & immensum, quale id est, in quo & diuinitas, nonnunquam vero etiam dæmonium distinguit, quidpiam minus, quam illud significat, in quo excellentia quædam insit, & admiratio, atque etiam sapientia. Quo quidem modo natura dæmonia dicta est, non diuina. Nam

&

& admirandam naturam esse, & sapientem, atq; eruditam tametsi sine magistro Hippocrates censuit & prædicauit. Atque hoc dæmonis vocabulum indicat, quo sapientia quædam significatur. Ita igitur dæmonia natura dicta est, & quod sublunaris mundi dæmonibus attributi maxime propria, & quod admiranda & quadam veluti in operibus his sapientia prædita. Illud autem perperam a nonnullis dictum, dæmoniam naturam, quia a dæmonibus afficiatur, somnia ab illis accipiens proximis ab ea motoribus, ob eamque etiam causam summa dæmonia nuncupata. Nec enim pro hominis natura, aut phantasia, quæ dæmonibus vexetur, eo in loco sumpta est, sed vniuersim pro natura. Vtrum autem dæmoni Aristoteles crediderit, & statuerit, necne, controuersum est. Aliqui censent creditos & positos, alij minime, suis quique rationibus ducti; Multis certe in locis eorum fecit mentionem. Primum in his, quæ nunc fuerunt allata. Deinde quinto Metaphysices, cum de substantia agitur. Substantiæ (inquit) dicuntur, & simplicia corpora, & terra, & ignis, & aqua, & quæ sunt eiusmodi, & omnino corpora, & quæ ex his constant animalia, & dæmonia, & horum partes. Item in primo Moralium ad Eudemum, vbi loquitur de fœlicitate, in quo sit posita, & quomodo adsit. An neutro (inquit) horum modorum duorum, sed Dei alicuius afflatu, quod sanatio furore correptis, aut dæmone istinctis accidit. Ea etiam videtur indicare, cum secundo de Anima, de eius facultatibus loquens, ait. Alij etiam vis intelligendi, & intellectus, vt hominibus, & si quid tale, aliud est & præstantius. Vbi patet in dubium vertere, an aliquid homine sit nobilius, quod intellectum participet, quod nisi propter dæmonas factum esse non potest. Afferunt alij loca alia, sed minus ad rem pertinentia, vt est in tertio de Animalium generatione, cum docuisset in terra, aqua, & aere esse animalia, adiecit alibi disquirendum vtrum in igne aliqua habeantur. Quod quidem propter dæmonas nullo modo est dubitatum. Qui si sint, non minus in aere, quam

in

in igne sunt, vt Platonici tradiderunt. Sed quamquam in locis commemoratis dæmonij fecerit Aristoteles mentionem, a doctis tamen & in eius doctrina optime versatis omnibus nullos ab eis creditos, & positos censetur. Eorum vero factam mentionem, aut exempli causa, aut ex hominum, & quibus id erat persuasum, opinione, cum locus non esset de ea re disserendi, aut vocabuli dæmonij in alia, quam communiter vsurpatur significatione, accepto. Quomodo etiam initio libri de Somno & Vigilia vbi proponitur quærendum inter cætera, vtrum ea prauideantur, quæ ab hominibus solum effici debent, an quorum dæmonium causa est ex natura fiunt, aut casu. Quo in loco dæmonium pro naturali causa accipi videtur, etsi alij aliter interpretentur. Re vera ex Aristotelis principijs statui non possunt, quos si credidisset admirandum videretur, nullam de eis tractationem habitam fuisse, quomodo de intellectu humano, ac mentibus diuinis re potissimum ab omnibus expetita, de qua Plato multa commensus erat, & longe plura post eum Platonici. Et de hoc quidem satis. Nam eiusmodi disquisitio alterius loci magis est propria.

Naturam tempore, ac dignitate, seu perfectione arte priorem esse. Cap. XIIII.

QVoniam naturam ex ea, quam cum arte habet partim similitudine, partim dissimilitudine Aristoteles explicauit, idque optima ratione, quod & ars altera quædam natura, & hæc artifex maxime solers, & industrius videatur. Quæ sierit merito aliquis vtra harum cum tpe & origine, tum vero perfectione antecedat. Nam artē natura pfectiorē esse existimaui fortassis possit, propterea qđ multa a natura inchoata, quæ perficere non potest, perficiat, & ad finem constitutum perducat. Quemadmodum

agri-

agricultura, quæ vt terra ex se triticum, & alia proferre possit, boues aratro iungit, eorumque opera scindit terram, stercorationem etiam adhibet, qua fit, vt letamẽ cum gleba coniunctum Solis vi ad semen fouendum efficax reddatur. Medicina euacuationem a natura inchoatam ad exitum ducit. Quin & ars quædam facit, quæ natura non solum non perficit, sed neque etiam inchoat. Nec enim natura materiam ad lateres in fornacem deuehit, aut ignem supponit. Non item ex herbis aquam vllam extrahit, aut aquam vitæ ex vino facit. Non domos, non vestes, non huius generis alia. Ars præterea ad mentem animæ potissimam partem pertinet, natura ad corpus, & eas animæ partes, quæ nobis cum stirpibus, & belluis sunt communes. Præstantior igitur illa, & nobilior, quo mens corpus, & reliquas animæ vires nobilitate antecedit. Hinc mentis excellentia omnibus intelligitur, tot præclarissimarum, simulque vtilissimarum artium inuentione. Hinc artifices summi omnibus sæculorum ætatibus, statuarij, sculptores, pictores, architecti, & huius generis reliqui maximo in honore & precio habiti. Tempore vero & origine artem quoque anteire Plato existimauit, physicosque quosdam reprehendit, qui hoc naturæ tribuebant, non arti. De qua re diximus in lib. de Dogmatibus. Vtrum igitur res ita habeat docendum. Secus autem si recte res consideretur se habet. Nam & perfectione & dignitate, atque etiam tempore artem natura antecedit. Naturam enim ars imitatur. Quicquid autem aliquid imitatur, eo, quod imitatur, minus perfectum est, atque posterius, nullaque alia de causa imitatur, quam vt illius perfectionem quoquo modo participet. Ita ideas Plato formis materialibus, quæ earum imagines sunt quædam, longe perfectiores statuit. Ita mundi exemplar, mundo hoc materiali ad eius imaginem fabricato. Quin & in artibus, quæ imitatrices proprie dicuntur, vt pictura, statuaria, quod ab eis efficitur, nobilitate longe inferius eo est, quod imitantur. Imagines in speculis, quę rerum formas reddunt, quis non eis rebus ignobiliores fateatur.

teatur. Cum igitur naturæ ars æmula sit,& imitatrix, quare ea minus perfecta sit, ac tempore etiam posterior dubitari non debet. Naturæ item effecta maxima, atque nobiliora & priora, quæ ab arte fabricantur. Nam vt simplicia corpora, ignem,aerem,& reliqua, quæque ex horum admistione constant,mixta inanimata,lapides,& metalla,tot gemmas nobilissimas,& preciosissimas prætereamus,nullum ne artis opus est, quod cum vel vilissimo animali, aut etiam stirpe possit conferri? Quid igitur de præstantioribus,ac nobilioribus dicendum? Quid de homine ipso tandem,quem veluti mirandum in hac rerum vniuersitate maximum natura progenuit. Ideo naturam opificem maximas nobis in effectuum suorũ contemplatione voluptates præbere, primo de animalium partibus Aristoteles docuit,idque eo argumento, quod maximam in rebus arte factis cernendis delectationem capiamus, quamquam ignobilioribus, & a causa minus nobili fabricatis. Absurdum (inquit) est,& ratione carens,si illorum simulachra spectamus, delectamur, quoniam eorum opificem contemplari videmur, & pingendi, aut fingendi artem, & non potius rerum naturalium contemplationem amplexemur,modo causas perspicere valeamus. Ab his antem ipsis rebus naturæ,ars,& arte facta proficiscuntur, nempe ab homine, & omnino & dignitate,& tempore artem posteriorẽ esse constat. Sed res hæc notior videtur, quam vt maiorem demonstrationem requirat. Nam quæ cõtrarium ostendere videntur, ea facile possunt dilui, & ne incommodum aliquod afferant, summoueri. Ac primum quidem fatendum,multa a natura inchoata,quæ illa perficere non potest, arte perfici,quin & artem aliqua inchoare, & etiam perficere, quæ a natura nullo modo generantur. Sed maior hinc artis perfectio colligi non debet, quin potius minus perfectam veluti naturæ ministram, & adiuuantem causam, quæ ipsa per se a natura derelicta nullo modo id ageret, tametsi solertia omni, atque industria adhibita. Naturam namque n ægro operantem si tollas,omnino medici actionem, atq;

operam

operam superuacaneam esse constabit. Solis item vires, seu vitalem calorem summoue, frustra boues arario iunges, frustra terram eis iunctis diuides, ac stercoratione humectabis, semenque fouebis. Ignem nisi ex lignis natura gigni voluisset, nil proderit ea ex montibus in fornacem deferre, vt materia domibus fabricandis coquatur. Quod si ars quædam omnino fabricat, quæ natura nec facit, nec potest, multo plura, & nobiliora a natura gignuntur, quæ arte nulla, nullo hominum studio, aut opera vnquam fierent. Cuiusmodi sunt animalia omnia, & stirpes, quin & metalla, tametsi chymica ea facere profiteatur, sed si faciat, non tamen absque natura, vt prima & principe causa. Atque hoc est, quod veteribus physicis placuit, vt in Legibus Plato refert, quæ natura fiunt, res maximas, & pulcherrimas esse, cæteras minores arte constare, ipsamque artem natura posteriorem in operum generatione a natura exemplo accepto minora omnia, quæ artificiosa sunt, fingere, ac fabricare. Verbi gratia, ignem, aquam, terram, aerem natura, non arte esse. Cœlum item totum, & animalia & plantas. Ex his autem artem mortalem a mortalibus factam posteriores res quasdam genuisse, non penitus veritatis participes, sed simulachra quædam, qualia pictura, musica, cæteræque artes his similes generant. Si quæ vero artes serium aliquod faciunt, eas esse, quæ vim suam cum natura communicant, vt Medicina, Agricultura, Gymnastica. Hæc igitur illi veteres, quamquam fortunam cum natura opificem iungebant, quod abest a vero, vt antea docuimus. Sed quod ad naturam attinet, recte omnia. Nam quod Plato eis obijcit, artem natura priorem, & præstantiorem fundamento falso nititur, animæ videlicet, quæ mundum antecesserit æternitate, aut ante mundi ortum procreatione. Erroris enim illorum ait hanc vnam, & potissimam causam fuisse, quod animam putarint corporibus posteriorem, ipsaque corpora rerum omnium esse principia, cum tamen omni corpore antiquior anima sit, ante omnia corpora procreata. Ita & quæ animæ propria sunt, his, quæ ad corpus

corpus attinent, necessario præire. Proinde opinionem, curam, artem, intellectum, legem, duris & mollibus, grauibusq; & leuibus esse priora. Sed patet nec mundum genitum esse, nec si genitus sit, animatum factum, nec si animam accepe-rit, eam ante eius ortum genitam fuisse. Nec enim anima, aut omnino forma materiam suam potest antecedere. Præterea artes priuatarum sunt animarum, siquidem ab hominibus inuentæ, & propagatæ, non autem animæ mundanæ. Sed quemadmodum ab anima illa mundi, quam intelligentem esse voluit, animationem singulis animatis, ita & intelligentiam hominibus, ac proinde ea, quę illam consequuntur, accedere putauit. Perspicuum igitur est, arte naturam simpliciter priorem, præstantioremque, quod etiam Ficinus in secundum Aeneadis tertiæ Plotini confessus est. Ac quamquam ars ad mentem attinet, quæ supra omnem naturam videtur esse, hominis tamen inuētum est, ac mentis proprie, quatenus hominis forma illa est. Dignitate igitur naturæ non anteit, a qua & homo existit, & quicquid hominis proprium dicitur. Quæ cum ita se habeant, non recte videntur a Platone veteres reprehensi. Quamquam eo, vt diximus arguendi, quod fortunam naturæ comitem fecerunt, rerumq; naturalium generationem, ac dispositionem in eam pariter, ac naturam retulerunt. Nam quamquam in nonnullis fortuna & casus spectetur, vt in his, quæ de illis conscribentur, patebit, præcipuorum tamen & maximorum naturæ operum, quin & aliorum, quæ ordine certo, atque etiam temporibus statutis gignuntur, causæ dici non possunt. Naturæ tantum illa sunt, ac cœlestium corporum, & eorum a quibus mouentur. Quæ cuiuscunq; sint, vt res arte factas antecedunt, ita & artem natura.

Quo-

Quomodo & quæ artes naturam imitentur, quaue ratione vicißim ars & natura se superent.
Cap. XV.

NAturæ æmulam, & imitatricem esse artem, & communiter ex Arist. refertur, & a nobis antea explicatum. Hoc vero cum in nonnullis tantum artibus spectetur, veluti pictura, & statuaria, quæritur merito num de arte absolute, & quatenus ars, id enuncietur, an de quibusdam tantum: ac si de arte in se, quemadmodum naturam dicatur imitari. Videtur autem arti in genere hoc tributum, tametsi alia ratione, quam his, quæ commemoratę sunt, artibus. Nam illæ naturæ opera imitantur, ars omnis eius operandi modum, & rationem. Ita vero natura in suis operationibus ingreditur; Finem sibi aliquem, seu scopum sibi præscribit, qui aliud nil est, quam operationum suarum, ac motionum terminus, quem, cum adepta est, conquiescit, tum eo fine proposito ad eum ordine quodam proficiscitur, ab imperfectis exorsa, & sensim ad perfectiora progrediens, donec ad eum, quem sibi præscripsit, finem peruenerit. Non etiam ex quibuslibet quodlibet agit, nec quamuis materiam ad quemuis effectum progignendum adhibet, nec omnino quibusuis in finenancis cendo medijs vtitur. Non secus ars omnis fine aliquo proposito semper agit, nilque temere molitur, estque finis arti propositus, actionum suarum terminus, ad quem ordine quodam, ac medijs certis, ac determinatis proficiscitur, non ex quouis, aut quolibet materia quiduis fabricans, sed ex certa, ac definita. Natura item ex quam paucissimis potest, res omnes generat, necessarijs contenta, ac superuacanea deuitans, quod artem quoque omnem facere videmus. Quæ similiter, vt natura, imperfecta primum generat, tum perfectiora semper molitur. Ita igitur naturam ars omnis imitatur. Sed præter hanc artium om-

nium communem imitationem,illa est quarumdam peculia ris,quæ non in operationis modo, ac ratione posita est, sed in operum imitatione. Quo quidem modo statuaria,ac pictura naturam imitari enituntur,animalia & stirpes, & quæcunque constant natura,coloribus exprimendo,aut in certa materia fingendo,aut sculpendo,aut aliter fabricando. Quarum artium in imitando vis interdum tanta extitit,vt earum operibus,seu picturis,seu figuris,ac statuis nil nisi spiritus deesse, immo vero, & in eis quodammodo inesse videretur. Sunt vero & aliæ artes naturæ opera imitantes, quemadmodum textoria,ædificatoria,& musica. Illa enim araneas, subtilemque eorum texendi rationem imitatur, ædificatoria apes in domorum, hirundines,& alia huius generis in nidorum constructione. Nec aliter musica auium concentus est æmulata. In hisce autem imitationibus naturam partim superasse ars dicenda est, partim non superasse. Superasse quidem,quod pictura,exempli gratia, hominem, seu humanum corpus excellentiori quodam modo exprimat,ac repræsentet,quam inter homines aliquis possit inueniri. Nullum item humanum corpus tam absolutum a natura fabricatur, quam perfecte fingatur hodie a doctis artificibus. Quis itē auium cantus cum excellentissimis musicæ concentibus possit conferri? qui auium nidi, aut apum cellæ cum magnificis commodissimisque hominum ædibus? Ita igitur arte natura superata est. Sed nec pictores, nec statuarij, quamquam opera sua absolutissima efficiant,id tamen, quod natura potest, & facit, vnquam assequuntur, nec enim motum, aut sensum, aut omnino vitam illis impartiuntur, quemadmodum natura. In eo vero maxime a natura ars deficit, quod in superficie tantum ars agit, formamque materiæ extrinsecus tantum imponit, quemadmodum statuarius marmori,aut ari,faber lignarius ligno,& ita in cæteris. Natura autem totam intrinsecus materiam mouet,& format, quam quam figuram, & conformationem partibus organicis extrinsecus hæc,aliter, ac ars stirpibus, & animalibus duntaxat adhi-

adhibeat. Nulla est materiæ carnis particula aliqua, seu interior, seu exterior, quæ illius forma informata non sit, cum tamen quæ ab arte efficiuntur non omnia ita se habeant. Dico autem non omnia, quod quædam fortassis eius generis inueniantur, veluti lutum ex vno latere, & fictilia fabricantur, quod omni sui parte luti formam ab arte nanciscitur. Cuius causa est, quod ad naturæ imitationem in omnem eiusmodi materiam ars sese insinuat, eam tractando, ac sibi similem totam efficiendo. Suam enim materiam ars plurimum architectatur, & facit, cum natura illam iam factam, & præexistentem accipiat, quod aliud est inter artem, & naturam discrimen, in naturali Auscultatione ab Aristotele traditum. Nam quamquam elementa, ex quibus omnia fiunt, a natura gignantur, generabilia enim sunt, & corruptibilia, cum tamen stirpem, aut animal ex eis gignit, & facit, ea non generat, verum iam genita accipit, & ex eis inter se admistis res procreat. Quamquam & in vniuersum ingenita sunt, & materia prima ingenita, vt materiam a natura non fieri absolute dicere quis possit, cum tamen ab vno sæpe efficiatur, aut saltem præparetur. Quemadmodum ligna a fabro lignario, & æs, seu marmor, a statuario. Quoniam igitur ars materiã, aut facit omnino, aut ad opus idoneam reddit, eã quodammodo ingreditur, eam (vt dixi) attrectando, & operi accommodatam totam efficiendo. Sed in eam, quam fecit, aut ad opus præparauit, formam extrinsecus tantum immittit, ac in superficie agit, non in partibus internis. Verum natura per totam materiam sese insinuat, & in eam totam agit, eãq; totam informat, vt in carne & ossibus, & alijs eius generis partibus patet, quarum forma per vniuersas eas extensa est. Partium autem dissimilarium figura, & conformatio in superficie quidem est, quomodo arte factarum. Sed huiusmodi forma accidens quoddam est, de qualitatis genere, quod materiam ita efformare sua natura est comparatum. Magnũ tamen adhuc in his inter artem, & naturam remanet discrimen. Siquidem minutissimum quodque instrumentum in

animalis corpus natura fabricatur, quod de vi formatrice in ſpiritu hominis aliquando Ariſtoteles tradidit. Ars autem extrinſecus tantum operatur,& quamquam Polycletus,aut Phidias,nihil tamen niſi in marmoris ſuperficie poterunt efficere, qua ſcilicet parte illud attingerenr. Internam vero eius partem illaboratam,ocioſam,arris immunem, ac neglectam, vt Gandauenſis quoque tradit, reliquerunt. Natura non ita, ſed oſſis partem quamlibet os,efficit, & carnis,carnem: quippe cum omnes partes ab ea tangantur. Quin nec ars ex vna materia facere aliud poteſt, vt ex cera aurum, aut ebur,ſed in eam,quam accipit,materiam,aut fingit,foris tan tum ſpeciem,figuramque inducit. At natura multarum materierum veterem formam non ſeruat, ſed ex ſanguine carnem gignit,& ex cibis ſanguinem. Arte igitur natura potentior,& efficacior. Magnum porro adiumentum,quo ars deſtituitur, natura accepit, quod formarum, quas gignit, potentia quædam,ac veluti ſemen in materia habeatur, vt non magnopere ad eas in actum ducendas ei ſit inſudandum. Earum autem,quæ ab arte exiſtunt, formarum, nulla eſt in materia potenria,nulla appetirio,quemadmodum antea tra ditum eſt. Hinc fit vt genitrice natura ad materiam idoneā appropinquante, generatio, niſi quid impedierit, prorinus ſequatur, quod artificibus vſu non venit, quibus mulrum eſt laborandum, vt in ſubiectam materiam formam inducant, quippe, quæ eam non appetat,nec veluti ſponte ad eā feratur,quin potius ſæpenumero rebellis, ac reſiſtens, multorum etiam artificis errorum eſt cauſa. Hanc etiam ob cau ſam intellectum agenrem arti non omnino ſimilem,nec eius intellectum poſſibilem proportionem eandem omnibus mo dis eſſe,atque eam, quæ eſt artis ad non artificioſum, tertio de Anima Auerrois tradidit. Ars enim (inquit) formam in tota materia imponit abſque eo, quod in materia aliquid ſit exiſtens de intentione formæ,antequam artificium fecerit eam,quod in intellectu ita non habet, quippe,qui ad res intellectiles intelligendas nec ſenſu, nec imaginatione opus

habe-

haberet, resque intellectæ ad intellectum materialem mitterentur, nulla sensilium formarum respiciendarum posita necessitate. Quo in loco patet intellectum agentem non omnino ex se species in materialem ponere, sed oportere vt illic sint in potentia, quia aptus sit materialis ea in imaginatione aspicere, modo ab agente illuminetur. Quare naturæ potius similis est, quam arti, siquidem & natura formas in materia (vt dictum est) non ponit, sed cum in potentia antea insint, in actum eas ducit, ac de potentia illa quodammodo elicit. Vnde non omnia ex omnibus fieri, nec quamuis formam ex quauis materia potest educere. Quod quamquam & ars non posse omnino videatur, siquidem terram ex ligno non faciet, quæ vsum suum habeat, magis tamen & in pluribus faciet, quam natura, materia eius non ita ad hanc, aut illam formam determinata. Ac quæ inest determinatio propter vsum videtur esse, qui in omni materia esse non potest. Cum alioqui & serram ligneam artifex facere possit, & omnino quamcunque formam in quamcunque materiam inducere. Quod natura non potest, quippe, quæ eas tantum generat, quæ potentia in materia inerant. Quam quam serra, quæ ex ea materia fiet, vt vsum suum non habeat, æquiuoce duntaxat serra erit, vt quædam omnino materiæ aliæ non tamen vt in natura, determinatio, in arte esse videatur. Et hæc quidem de his satis.

* * *

Quæ secundum, quæ præter, aut contra, quæ supra, aut post naturam dicantur esse. Cap. XVI.

Illud vero in his, quæ ad naturæ explicationem spectant, docendum manet, quæ secundum naturam esse, aut fieri, & quæ natura, aut naturaliter, vtrum eadem an diuersa, & quæ dicantur, quæ item præter naturam, quæ supra, quæ contra. Totidem enim rerum genera videntur esse, non parum inter se discrepantia. Aristoteles pauca quædam secūdo Physicorum de his, quæ secundum naturam sunt, & quæ natura tradidit, nulla aliorū facta mentione. Qua etiam de causa a medico quodam nostro ad pauca respiciente in cōmentarijs suis in Galeni artem paruam reprehenditur. Nec eo tantum quod breuiter non explicarit, idque quod est præter, aut contra naturam prætermiserit, sed quod quæ tradidit exempla potius sint eius, quod secundum naturam est, quam definitio. Vnde (inquit) multa nobis relinquit dubitanda, necesseque est in tota eius tractatione, & in medicina, quæ ab illa nascitur, multas controuersias oriri. Nec contentus Aristotelem imminutæ tractationis arguisse, interpretes illius eiusdem erroris socios facit, qui (ait) obscuriores suas interpretationes, quam sit authoris dictio reliquisse, nec spectasse an ea, quæ tradunt, particularia omnia complectantur, quæ alibi Aristoteles tradidit. Quod non ita habere, sed eum potius leuitatis & inscitiæ, ne dicam temeritatis, vt in cæteris omnibus damnādum facile prospicitur, si quæ Aristoteles docuit, quæque a Simplicio, & alijs in ea sunt conscripta afferamus, eorumque disquiramus veritatem. Inquit igitur Aristoteles. Secundum naturam esse, tum ea, quæ habent naturam, tum quæ per se eis insunt, veluti igni sursum ferri: hoc enim neque naturam esse, neque naturam habere, sed natura, ac secundū naturā ei inesse. Quibus in verbis (vt patet) duo rerū genera scd'm naturā se habentia cōplexus est, nēpe res ipsas natura cōstantes,

tes,corpora videlicet naturalia,in quibus est natura,quę motus & status principium intra se habere dixerat, & eorum per se affectiones,ac motus. Nec tantum genera attigit, sed simul rationem comprehendit,qua aliquid secundum naturam,& natura esse,statuitur. Quæ ratio in eo posita est, vt aut naturam, quæ motus & status principium esse definita est,intra se habeat;aut eius, quod illam habet affectio per se sit,aut motus. Ea igitur,quæ secundum naturam sunt, definiuit, nec exempla duntaxat attulit, sed post definitionem exemplo motus in superum rem illustrauit,contra quam illi calumnientur. Sed quid mirum hoc eos non animaduertisse, cum nec quo loco hic sunt ab Aristotele tradita, inspexerint,alieno & præpostero eis tributo. Postquam enim materiam & formam naturam esse,& hanc magis, quam illam Aristoteles docuisset, hæc aiunt adiecta,cum tamen ante illā tractationem,ac explicationem fuerint tradita, nulla adhuc materiæ & formæ facta mentione. Ita hominum horum in legendis authoribus diligentia quanta sit, consideretur, vt intelligi etiam facile possit,quam considerate ad eos arguendos ducantur. Eorum autem,quæ præter naturam sunt, eo in loco Aristoteles non meminit,quod & ex his, quæ sunt secundum naturam poterant percipi, vnum videlicet contrarium ex reliquo, & quædam etiam de erroribus, qui in rebus naturalibus contingunt,veluti de monstris in progressu esset dicturus; cum disputationem instituerit vtrum natura propter finem agat,an temere,& fortuito. In his autem,quę præter naturam sunt, ea etiam quæ contra naturam, si quæ sint,vt docebimus, possunt comprehendi. Nec enim apud probatos philosophos eorum vt diuersorum vlla fit mentio. Sed iam videamus, quomodo secundum naturam ea Aristoteles dixerit,quæ per se rebus naturam in se habentibus insunt. Nam illas secundum naturam esse,cum natura constet, eamque intra se habeant, nemo debet dubitare. Per se igitur ea insunt,quæ ex principijs, quo ea constant,proficiscuntur. Cum autem rerum naturalium principium natura sit,

per se illis inerant, quæ a natura earum oriuntur. Quis autem ambigat id secundum naturam esse, quod ab ipsa oritur natura. Oriuntur autem propriæ operationes, quarum illa principium ponitur, quæque earum rerum veluti sunt fines. Quare hæ ipsæ secundum naturam merito dicuntur, vt ferri sursum in igne, vt Aristoteles docuit. Atque hæc proprie secundum naturam dicuntur, atque etiam natura sua naturaliter. Quamquam authore Simplicio hæc inter se distinguuntur, latiusq; patet natura esse, quã secundũ naturã. Nã secũdũ naturã ea esse, quę propriã habeant perfectionem, quæq; ex naturæ præscripto, ac voluntate eueniunt. Cuius generis oĩa non sunt, quæ natura esse conceduntur. Natura namque esse, quæcunque naturæ actionem contingunt. In his autem & monstra esse, & quæ priuatione constant. Hæc enim talia esse, quod sint natura comparata. Natura etiam esse, quæ naturalem substantiam consequuntur, eique accidunt, quatenus est talis, vt corpori coloratum esse, & ægrotare. Cum tamen sanum esse, secundum naturam dicatur. Hæc igitur Simplicius, a Themistio antea tradita, a quibus non admodum Philoponus dissensit. Quæ quidem ita habent. Nec enim secundum naturam aliquid, veluti hominem se habere aliquis dicet, nisi postquam perfectionem suam accepit, naturæ suæ conuenientem, idque ex naturæ ipsius præscripto & lege. Secundum naturam etiam sunt operationes rei cuiusque, quas natura ad earum perfectionem a rebus voluit existere. Si quid autem præter naturæ institutum in rebus, quas agit, contingat, id natura quidem esse, quoniam nec arte est, nec consilio, nec alia vlla causa, non tamen secundum naturam dicetur. Cuiusmodi vt ait monstra, & priuationes. Quæ eadem quoniam non sunt secundum naturam, præter naturam quodammodo dicuntur. Verum hanc Simplicij interpretationem his, quos ante commemoraui, minime probatur. Tum quod Aristoteli non conueniat, qui putredinem, quæ corruptio est in quarto Merhcorum, naturalem vocet, & eam quidem secundum naturam esse, si ex naturæ prin-

principijs fit,& a natura ipsa. Deinde quod mors naturalis perinde ac vita, secundum naturam est,& dici debet, cum vtraque a natura fiat, & ex principijs, quibus constamus. Quod item monstra quodammodo secũdum naturam quarto de Animalium generatione Aristoteles nominet, cum in illis nulla sit perfectio,nec naturæ propositum. Postremo quod nil de his tradiderit, quæ præter naturam. Verum in interprete,quam in authore reprehendendo non multo cõsideratiores fuere. Nam vt concedamus, putredinem naturalem dici,quia naturalis interitus finis ab Aristotele statuatur,non tamen ideo secundum naturam proprie est. Quippe cum quæcunque naturæ actiones consequuntur necessario,aut in illis peccata cernuntur, natura esse, & naturalia dici debent, nec tamen secundum naturam, quia non naturæ proposita. Quare nec mors naturalis, secundum naturam vocatur, nisi communi quadam appellatione, quomodo & monstra secundum naturam quodammodo esse concessit, non simpliciter & proprie. Ideo præclare Galenus in libro de Marasmo,secundum naturam proprie,quæ a natura fiũt, vt accretio,& nutricatio, quæ autem ea necessario non consequuntur,& senectus,secundum naturam dicuntur,quia ne cessario naturæ ordine fiunt. Quare senectutem opus naturæ non esse,sed naturæ opera necessario consequi hoc Galeni dicto intelligitur. Quo falsitas opinionis de qua agimus, patet,siquidem censet,putredinem, ac mortem naturæ opus esse,& ab ea proficisci. Non adeo rebus suis natura inuidit, vt quas tanta solertia gignit, tantoque ordine, vt antea docuimus, eas ad interitum & putredinem gignat. Quod si intereunt & putrefiũt, id consecutione quadã necessaria accidit,siquidem gigni nil potest, quod idem tandem non intereat. Interitum tamen nullum sibi natura proponit, cum ortum proponat,& rerum perfectionem. Monstra vero non simpliciter secundum naturam appellauit Aristoteles, sed quodammodo duntaxat. Quamobrem patet recte a Simplicio omnia enunciata,qui etiam quæ præter naturam sunt,ex his

his satis videbitur explicuisse, quę secundum naturam dicuntur. Multo vero plura Philoponus de eis in eius loci explicatione. Albertus item & alij, vt non omnes interpretes fuerint simul ob causam arguendi. Hæc autem, quæ tradita sunt, his confirmantur, quæ Galenus alijs in locis docuit, veluti quartodecimo Methodi secundum naturam se habere ea, quæ in numero, & magnitudine modum conuenientem seruant, & quæ ex sententia nostra esse cupimus. Ita sexto de Placitis Hippocratis, & Platonis, secundum naturam esse, & fieri, quod prima ratione a natura fit, quodque quasi finis ab ea coniectatur, non quod consequitur. Multo vero hoc rectius & apertius, quam quod natura materia sit, & forma, id quod est secundum naturam in formam, & materiam aut iunctas, aut separatas, quod noster medicus tradi simpliciter, ac nude refert. Nam quamquam id verum est, suum tamen non est, sed aliorum multorum. Præterea quid hoc ab Aristotelis, aut Simplicij definitione differt? quoniam quod habet naturam id secundum formam, & materiam recte habet. Quæ item per se insunt, formam sequuntur. Rursus per fectionem id dicitur habere, quod formam suam accepit, eamque materiam, quæ ad eius constitutionem requiritur. Sed cum hoc recte dictum ab eo videatur, quamquam (vt dixi) non suum, nec ab Aristotele, & Simplicio diuersum, multa adijcit non consentanea. Primum enim, si ea maxime secundum naturam dicuntur, quæ ab vtroque principio, materia videlicet, & forma, vt censet proueniunt, secundi autē ordinis, quæ ab altero solo, primum inquam efficitur, vt ipsa corpora naturalia, animalia videlicet & stirpes, cæteraque omnia secundum naturam non sint, quippe quæ a nulla materia & forma proueniant, quorum actiones, seu operationes dicuntur prouenire. Nam si prouenire accipiat, hoc est, componi, seu fieri, quo quidem modo accepisse, iam alterū membrum non respondebit, quo ait, quæ ab altera natura fiunt, secundo gradu esse. Quid enim est in rebus quæ fiunt, quod vel a forma tantum, vel a materia gignatur. Equiuoce igitur

igitur prouenire ea acceperit necesse est,primum vt idem ve lit quod generatio; & ad corpora accommodatur, secundo vt ad motus tantum,& actiones extenditur, quo vel a mate ria,vel a forma proficiscũtur. Deinde,quę illa sint rogo secũdum naturam in quibus forma penitus deperdita est, aut etiam obscurata? Quis vnquam aliquid secundum naturam se habere protulit, cuius forma esset deperdita? Quasi vero seruare aliquid possit, & secundum naturam se habere, cum formam amiserit,materia sua remanente, ex qua secundum naturam dicatur,quamquam no adeo, vt cum formam seruauit. An uero monstra formam suam amiserunt, ac non potius si homo biceps nascatur, non itidem hominis formam habeat, quę vere natura appellatur. Sed video formam exteriorem acceptam veluti,ait, si homo nascatur pedibus, aut alia parte deprauata. Veram hanc naturam non esse,sed qualitatem quandam exteriorem considerare oportebat. Natura enim motus & status principium est, cuiusmodi non est illa partium figuratio. Non igitur quod sit secundum aut præter naturam, ad hanc formam est referendum,nec omnino ad formam,quam habet, quę vere natura est,substantialem, nisi fortasse aliqua eius facultate destituatur.Ad eam autem,a qua genitum est,refertur, pręter cuius institutum atq; ordinem monstrum illud est procreatum. A forma autem interna naturales motus, qui secundum naturam sunt,proficiscuntur, quomodo a materia aptitudines & habilitates,vt moueatur. Quoniam autem pręter illud naturæ præscriptum & legem alia magis, alia minus existunt, in his, quæ secundum aut præter naturam dicuntur, gradus quidam cernuntur, ac minimus quidem a naturæ generantis proposito discessus est,cum fęmina gignitur. Cum enim vis generans in maris semine insit, eaq; quod perfectum est, & mari simile generare instituat, ab ea perfectione ac similitudine prima discessio generatio fęminę est. Qui enim(inquit Aristoteles quarto de Animalium ortu, capite tertio) suis partibus similis non est, monstrum quodammodo est, discef-

discessit enim in eo quodammodo natura ex proprio genere, cœpitq; degenerare. Sed initium primum degenerandi est, fœminam generare, non marem, verum hoc necessarium naturæ est. Genus enim seruari oportet eorum, quæ mare & fœmina distinguũtur. Porro fœminam mostrum veluti esse eodem libro docuit, capite sexto. Sunt enim (inquit) fœminæ natura sua debiliores, frigidioresq;, & sexum fœmineum quasi læsionem naturalem & detrimentum esse, putandum est. Quod autem etiam tradiderat libro secundo, capite tertio. Fœmina quasi mas læsus est, & alia huius generis. Maior autem recessus est, si prætet sexus dissimilitudinem, formæ quoque quoquo dissimilitudo accedit, omnium maximus cum iam non homini simile, ab homine gignitur, sed quid aliud animal veluti referat, quamquam re vera aliud non sit. Atq; hoc præter naturam ex toto genere dici potest, non autem lapis aut calculus in renibus aut vesica genitus, non item molę mulierum aut lumbrici in intestinis. Nam fieri hæc sæpe consueuerunt, materiaq; apta ad horum procreationem suppetit, & calor generans quamquam ex naturæ instituto non fiant Aristoteles autem (quod aduersarius etiam id contra se facere non animaduertens probauit) non omnino monstra præter naturam esse tradit, quæ solita sunt fieri, libro enim de Animalibus commemorato capite quarto, vbi rationem monstri seu rei monstrosæ tradit, quidq; monstrum sit, & id, quod præter naturam est, docet, ita ait: Monstrosum est enim res præter naturam, sed præter eam quæ magna ex parte sit. Nã præter ea, quæ semper & necessario est, nihil fit. Verum in rebus ijs, quæ magna quidem ex parte ita fiũt, sed aliter etiã possunt fieri, euenit id, quod pręter naturã consistat. Nam & inter eas ipsas, quibus accedit, quædam præter hunc ordinem, sed nũquam quolibet modo minus monstrosum esse videtur, quoniam quod præter naturam sit, idem etiam secundum naturam quodam modo est, cum naturam materiæ natura formæ non superat: quamobrem nec ea monstri nomine appellantur, neq; vbi fieri aliquid solet, vt in fructibus,

Hæc

Hæc ibi. In quibus patet, quæ fieri solita sunt a monstri, & eius quod præter naturam est, ratione moueri. Cuius rei exemplum affert de vitis quodam genere, quam vocant Capneam, quæ cum albam vuam ferat, si nigram tulit, mõstrum id non putant, quoniam id sæpe facere ea soleat, vtpote media inter albam & nigram. Cum igitur calculus tum in vesica & renibus, & in intestinis lumbrici, quinetiam molẽ in vtero sæpe ferre soleant, tantum abest, vt toto genere, idest, omnino sint præter naturam, vt ne vix quidem talia possint dici. Nam etsi præter naturam sunt hominis, id est, non talia, quæ possint esse vlla pars in corpore illius, non idcirco præter naturam dicenda, cum multa alia quoque in animalis corpore gignantur, quæ corporis nullam partem referũt, nec materiam etiam, nec formam, veluti excrementa. Quid autem aliud sit lapis, aut calculus, nisi excrementitia quædam materia illic coagulata? An vero lapis ille, qui in nubibus gignitur, & in terram vi quadam deijcitur (cum enim gigni nulli asserunt, nec rationi aduersatur) monstrum & penitus præter naturam dicendus, quoniam nubium, nec formam, nec materiam refert, sed omnino dissimilis cernitur? Naturalis profectò ille est, nec præter naturam alio nomine dicendus, nisi quatenus non ex instituto naturæ, sed materiæ quadam necessitate. Sed hisce præteritis, subijciamus, quomodo tria hæc, natura esse, secundum, & præter naturam, in libro Finitionum medicarum distinguuntur aliter quam a Simplicio, & alijs. Secundum naturam (ait) sanitas est, præter naturam morbus, quod natura est, id nec secundum, nec præter naturam est, vt gracilis admodum, aut siccus, vel perpinguis, & crassus, vel naso adunco, aut simo. Non enim hos secundum naturam affectus esse, quia symmetriam non seruant, non præter naturam, quia non impediuntur functionibus administrandis, sed natura, id autem est, quod a principio genitum est, ac a prima generatione consistunt. Quæ quidem distinctio ab his, quæ tradita sunt non dissidet, nisi quatenus, quod natura est membrum di-

uersum

diuersum a cæteris facit, quod Simplicius communius quoddam quam id, quod secundum naturam est, statuit. Porro, quod secundum naturam est, in symmetria positum esse, quod præter, in asymmetria, actionesque lædere, a Galeno cum alibi, tum primo de difficult. Respir. traditum est. Quo fit, vt quod secundum naturam vnum sit, veluti regula, & mensura, quod autem præter, varium & multiplex, sed tamen duobus primis generibus comprehensum, nimio scilicet, & pauco, quibus asymmetria constat, & a symmetria, & commensuratione receditur. Hæc autem tum moderatio, tum immoderatio, & in animalis partibus, & in actionibus, veluti respiratione, pulsu, & alijs, spectantur. Sed cum de his satis dicta videantur, illud tamen etiam adijciendum, quædam præter naturam esse huius, & illius, quæ particularis dicitur, natura, quæ tamen quoniam ad rerum vniuersitatem tuendam sunt necessaria, ex naturæ ordine videntur esse, harumque vniuersalem naturam appellare consueuerunt, secundum quam aliqua fiant, quæ particularibus naturis aduersentur. Quemadmodum mors est, & omnino rerum interitus. Hic enim naturæ nulli particulari propositus est, quippe, quæ omnia generare instituit, ac generatione assequi æternitatem. Quoniam autem ortus nullus esse potest, quin aliud quid intereat, & quæ orta sunt, ex his sunt, orta, quæ aliquando solui necesse est, interitus etiam rerum naturalis, ac naturæ propositus videtur. Qui tamen re vera propositus non est, sed materiæ quadam necessitate existit. Addunt aliqui efficientiam cœlestem, quæ naturalium rerum causa sit, hancque esse vniuersalem naturam, a qua hæc proficiscantur. Quod quidem rectius dicitur, quam si naturam vnam aliquam a cœlo diuersam per vniuersum fusam vniuersalem cum Stoicis ponamus. Vt autem de morte & interitu dictum est, ita de grauium ascensu, & leuium descensu dicimus, quæ cum hisce naturis repugnent, ac præter naturam sint manifeste, ob vniuersalem tamen naturam ad vniuersitatem seruandam, secundum naturam fieri conce

duntur,

duntur, vt cum ad vacuum vitandum grauia aſcendunt, ac leuia deſcendunt, nullo exteriori, quod ea impellat, mouente. Sed iam his, quæ prgter, aut ſecundum naturam dicuntur, præteritis, quæ contra, aut ſupra naturam dicantur, videamus. Contra naturam, niſi ea ſint, quæ præter, nihil eſt in rerum vniuerſitate. Idcirco nec Ariſtoteles, nec omnino Græcorum philoſophorum ullus, vllam eius, quod contra naturam ſit, mentionem fecit. Quæ autem eſſe nullo modo poſſunt, veluti homo lapideus, hæc ficta, ſeu impoſſibilia, non autem contra naturam dicuntur. Quod ſi quis ita velit ea nominare, ſuo arbitrio faciat. Philoſophi ea tantum po ſuerunt, & nominarunt, quæ eſſe poſſunt, & interdum fiunt, ſeu ſecundum, ſeu præter naturam. Ea vero, quæ eſſe non poſſunt, prætериere. Quin & quæ præter naturam ſunt, contra naturam dici poſſunt, veluti grauibus aſcenſus. Siquidem eorum naturæ contrarius. Supra naturam ea cum Simplicius, tum alij dixere, quæ nec ſecundum, nec præter naturam, ſed media inter ea quodammodo ſunt, quemadmodũ eſt ignis motus in orbem, quo a cœlo rapratur. Quippe, qui nec omnino præter naturam eius eſt, niſi duos vni & eidem contrarios motus ſtatuamus, nec etiam ſecundum naturam, cum natura ſurſum feratur. Verum ne hunc quidem motum, aut huius generis res ſupra naturam Ariſtoteles ſtatuit, aut alicubi nominauit. Nec ignis ſupra naturam, ſed prgter naturam eo motu dicitur moueri, quamquam minus quam ſi deorſum ferremus. Cum enim motus ille ab ignis natura non proficiſcatur, ſed a cœlo duntaxat, præter eius naturam dici poteſt. Nec duo idcirco contrarij motus vni, & eidem erunt, ſiquidem plane contrarius hic non eſt, quẽadmodum nec penitus præter naturam. Cum pręſertim ita ſit natura comparatum, veluti & aer, vt in quam partem primum impellitur, in eam, præ ſua mobilitate, atque agilitate veluti ſua ſponte deinde moueatur. Nec motus eius perpetuitas, vt præter naturam & violentus non ſit, aliquid conducit, ſiquidem non omnino idem numero ignis eſt, qui

moue-

mouetur; Sed cum fluxile admodum corpus sit, & quod fa cillime deijcitur, subinde dissipatur, & locum mutat, atque etiam interit alio nouo succedente. De qua re alibi dicendum. Illa vero supra naturam dici possunt, quæ extra cœlũ sunt posita, nec locum, nec tempus, nec motum participantia, vitamque beatam perpetuo degentia, cuiusmodi sunt Aristotele etiam docente mentes diuinæ. Supra naturam rursus, quæ religio nostra asserit, quæ nulla vi naturæ effici vnquam potuerunt, quæ eadem physicis, præter, & contra naturam dicerentur. Sunt & aliqua post naturam, de quibus opus est Aristotelis Metaphysica, id est de his, quæ post res naturales sunt posita. In quibus & ea sunt, quæ supra naturam diximus, supercœlestia videlicet, & mentes diuinæ, quandoquidem post res naturales collocantur, summumq; locum in his, quæ sunt, obtinent. Ens item eiusque affectiones, & modi, atque principia ad hoc rerum genus attinent quoniam naturam & res naturales consequantur, res nimirum intellectiles, ea quæ cadunt sub sensum, corporata, & materialia.

Eorum, quæ secundum, & quæ præter naturam se habent, & fiunt, differentiæ, & conditiones, seu naturæ diuersæ.
Cap. XVII.

QVæ autem secundum naturam se habent, & fiunt, aut semper se habent, & fiunt, aut frequenter. In sempiternis quidem semper & eodem modo, in generabilibus vero nonnullis semper, in alijs magna ex parte. Cœli motus ab omni æternitate sibi similis semper fuit, sempiternus, vnius modi & velocitatis, & in eandẽ partem. Cœlestes item sphæræ eundem, quem nunc, semper locum, atque ordinem habuerunt. Eodem modo & elementa. Grauia locum inferum, leuia superum semper petiere, dierumque, ac noctium vicissitudo quamuis nõ eadem, semper

per fuit. Ex homine item homo, & ex oliua oliua perpetuo nata est. Quod si quæ figuræ in nonnullis fuit dissimilitudo, id præter naturam extitit, vt antea de monstris est traditum. Hinc casu & temere naturam non agere docuimus, his, quæ ita fiunt, nec semper, nec frequenter ita se habentibus. Frequẽter quinis ĩ singulis manibus digitis homo nascitur, frequenter item æstates calidissimæ, & hyemes frigidissimæ. Sed non semper hæc ita habent, re aliqua naturæ ordinem & institutum impediente. Quo fit vt huius generis res natura potius, quam secundum naturam fieri dicantur. Ac quoniam in his, quæ non eodem semper modo se habent, aliqua causa subest, cur non semper ita habeant, octauo Physicorum Aristoteles tradidit, quod natura est, aut simpliciter, hoc est, eodem modo se habere, aut si non simpliciter, rationem aliquam esse, cur ita non habent. Quem locum Arabs interpres, & ante eum Simplicius, explanans, necessarium esse ait, vt natura actiones continuationem, & æternitatem habeant, aut contrariorum alterum tantum agendo, cuiusmodi ignis motus est in superum, aut duo contraria quadam successione veluti est ortus & interitus, æstas, & hyems. Quæ non temere contingunt, nec absque ratione & causa, sed Solis motionem consequuntur. Quæ cum sit obliqua, & in obliquo circulo cum modo adducit, modo abducit. Vnde hæc in ortu & interitu hyeme, & æstate vicissitudo cõsequitur, Solis quidem præsentia ortus & æstas, absentia interitus & hyems. Videntur autem hæc in his numeranda, quæ eodem modo, ac simpliciter se habent, siquidem id consequuntur, quod eodem modo, ac simpliciter affectum est, Solis videlicet motionem, nec aliam præter eam, quę dicta est, mutationem patiuntur. Quoniam tamen contraria inter se sunt, in his etiam censeri possunt, quæ non vno modo se habent. Si quid igitur in aliquo genere a naturæ hoc agendi determinato modo recesserit, id non secundum, sed præter naturam dicendum est. Nam quæ alicui generi secũdum naturam conueniunt, in omnibus illius generis inesse de-

T bent,

bent, non in quibusdam inesse, in alijs non inesse. Per se etenim conueniunt, quæ secundum naturam conueniunt, ac quæ per se insunt, in toto genere spectantur. Hinc nullum graue deorsum non fertur, nisi impedimentum adsit, quemadmodum corpora, quæ innatant, quod aut aer meatus plenos obtineat, aut aqua densior sit, quam vt mergi queant, vt de Palestinæ lacu bituminate proditum est. Hinc etiam efficitur, vt quæ secundum naturam adsunt, immutabilia sint, eandemque vim vbique & perpetuo habeant, ac proinde ius, seu iustum naturale a legitimo distinguatur, quod diuersas patitur mutationes, nec apud omnes est idẽ. Ita naturam legi opponere Aristoteles consueuit, & ante eum magister Plato, quod cum lex mutabilis sit, natura eodem semper modo se habeat.. In secundo Physicorum lecticæ, lignum & statuæ æs naturam censuisse veteres prodidit, non formam, aut artem, tanquam (ait) dispositio, quæ lege constat, & ars ex accidenti insint, ea vero natura & essentia sit, quæ permanet, ab illis perpetuo, & continenter affecta. Artificiosam igitur formam ob eius mutabilitatem vtpote a lege, ac præceptis artis pendentem, naturam esse eos negasse, quod materiæ, quia permaneat, concesserunt. In primo Ethicorum ad Nicomachum, iusta & honesta tantam varietatem habere enunciauit, vt videantur lege, non natura, constare. Naturæ igitur constantiam, ac immutabilitatem propriam censuit, vt legis mutationem, & inconstantiam. Quod Plato in Gorgia antea tradiderat. Quomodo autem quæ secundum naturam sunt, si per se insunt, mutarentur? Quæ enim per se, etiam necessario conueniunt. Hæc autem sunt immutabilia. Quare nec consuetudine vlla, vlloue tempore possunt mutari. Lapidem namque etiam si millies sursum ieceris, non idcirco efficies, vt motum in inferum deserat, ac in superum moueri assuescat. Eodemque modo ignis in superum semper ascendet, nec alium vnquam motum nanciscetur. Quin & ille, qui cauo Lunæ continetur, ac in orbem perpetuo raptatur, si deorsum

sum vi trudatur, sursum statim sibi dimissus conscendet, nec in orbem sponte mouebitur, quamquam ita perpetuo conuersus. Hoc nixus fundamento virtutes in nobis natura non esse, quod sint mutabiles, & consuetudine parentur, Aristoteles ostendit. Est autem quod secundum naturam est, considerandum in his, quæ sunt probe affecta, non deprauata, & quæ veluti a proprio genere degenerant. Itaque cum secundum naturam hominis sit, disciplinarum bonarumque artium capacem esse, in eo id spectandum, qui probe a natura est comparatus, nec cerebro, aut alio principe instrumento, aut animæ læsus facultate. Secundum naturam item est, cuiusque viuentis perfecti sibi simile aliquid procreare. Sunt tamen aliqua, quæ quoniam probe affecta non sunt, procreare non possunt. Rursus anima & corpore homo cũ constet, secundum naturam se habet, cum anima corpori imperat, hocque ei paret, nec aduersatur, quod quidem in his cernitur, qui optime affecti sint, cum aliqui sint tamen corpore & animo ita vitiati, aut male comparati, vt vicibus mutatis animam sibi corpus subijciat. Contraria autem maxime sunt, quæ secundum naturam se habent, vt contra corrumpantur, atque intereunt quæ præter naturam. Vnde illud tritum, violentum nullum perpetuum, quod in rebus omnibus cum naturæ tum etiam humanis perspicue spectatur. Corpora naturalia cum in locis suis secundum naturam maxime affecta sint, quippe quæ perfecta, & in fine suo, in eis maxime seruantur, vt nisi contrarium quid illinc accesserit, difficillime intereant. Ita in aqua pisces, respirantia in aere, quod in his omnibus locis, ac corporibus secundũ naturã se habeant, a quibus cũ recedunt, quod secundum naturam se habere desinant, citissime intereant. Domos, ciuitates, regna seruantur, cum quæ parere, ac subijci apta sunt, parent ac subijciuntur, ac suo vnũquodque officio fungitur, quippe hoc illis secundum naturam conuenit, a quo discedentia protinus dissoluuntur.

Huius autem rei causam hanc aliquis reddiderit, quod quę secundum naturam affecta sunt a contrario nullo, a quo lędi possint, & quo minus agant, impediri infestantur, quæ autem præter naturam, reluctantia quædam habent, corumque actiones perpetuo impedientia, ac veluti vim facientia. Perspicuum vero est actione sua, & opere vnumquodque seruari & perfici, contrario autem corrumpi, ac penitus dissolui. Ita cœlum motu seruatur, & omnino omnia, quæ moueri naturaliter sunt apta, a quo si retardentur, ac impediantur, in interitum tandem, propterea quod vim patiantur, abeant necesse est. Quod enim inest, ei, quod secundum naturam est, contrarium est, a contrario autem interitus. Ex his patet, præter naturam & natura esse æquali tempore aliquid non posse; Cumque id, quod pręter naturam est, recessus quidam sit ab eo, quod secundum naturam, eo esse posterius. Quomodo enim si quæ secundum naturam se habent seruantur dici, quæ præter, facile intereunt æquali tempore durarent? Quomodo item, quod pręter naturam est, non eo, quod secundum, posterius, siquidem recessus esse non potest, nisi quid sit, a quo recedatur? Cum autem posterius sit, sempiternum esse non potest, siquidem sempiterno nil prius. Quoniam autem secundum & præter naturam in motibus maxime cernuntur, motusq; omnis, præter orbicularem, finem habet quietem, vtpote finitus, ac terminatus, ita in eis res habet, vt si quid secundum naturam aliquo mouetur, in eo etiam secundum naturam quiescat, & si præter naturam mouetur, præter naturam illic quiescat, ad quod mouetur. Contra vero illic secundum naturam quiescit ex quo pręter naturam mouetur, quemadmodum, & secundum naturam inde mouetur, vbi præter naturam quiescit. Quod in elementorum singulorum motu & quiete facile est perspicere. Motus igitur & quies in terminum, ad quem in eo, quod secundum, aut præter naturam, conueniunt. Quæ autem quies in termino

no est ex quo, & motus dissentiunt. Cuius rei causa hæc est, quod motus, ab aliquo recessus est quidam, vt ad aliquid perfectio. Necesse igitur est si in aliquo quiescat quid secundum naturam, ab eo præter naturam recedat,& si præter naturam quiescat, secundnm naturam recedat. Similiter necesse est, si quid ad aliquid secundum naturam mouetur, in eo secundum naturam quiescat, quippe, quod non propter aliud mouetur, nisi vt locum eum, finemque nanciscatur, in quo consistat.

FINIS.

Registrum.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T.

Omnes ſunt quaterniones excepto a, & T, qui ſunt duerniones.

V E N E T I I S,
Apud Franciſcum Bolzetam Bibliopolam Patauinum.
M D XCVI.